

SLEBEN
8d
32





1) Branckharts

2) Miltzow John

3) Winn

Bd 6 32





3
QVADRIGA
DISPUTATIONUM
LOGICARUM

De

MODALIBUS
ENUNCIATIO-
NIBUS ET SYL-
LOGISMIS,

Consensu

Amplissimi Collegii Philo-
sophici, in illustri Electorali
Wittenbergâ loco exercitii
publici proposita

M. JOHANNES Weissen
Jennaco-Thur.

Editio secunda, correctior.

ERFFURTI,

Impensis JOHANNIS BIRCKNERI,
Bibliop. Erffurt. & Jenens.

Typis Pauli Michaëlis, Anno 1653.

Johann Weis

+ 1683



DN

DN

DN

DN

DN


Fra

Sax

lan

b





Illustrissimis & Celsissimis
Principibus ac Dominis

DN. JOHANNI ERNESTO.

DN. ADOLPHO WILHELMO.

DN. JOHANNI GEORGIO.

DN. BERNHARDO.

DN. FRIDERICO.

Fratribus germanis, Ducibus
Saxoniae, Juliae, Cliviae ac Montium,
Landgraviis Thuringiae, Marchionibus
Misniae, Comitibus in Marca
& Ravenspurgo, Dominis
in Ravenstein,

Principibus ac Dominis reeris
Clementissimis

A 2

Sa-

PRÆFATIO.

Salutem & pacem à DEO!

Quoties, *Illustrissimi atq̃
Celsissimi Principes, im-
mortalia Serenissima
Domūs Saxonice, præ-
sertim Vinariensis facta, animo
mecum pondero, toties ansam
mibi subministrat uberrimam,
immortales DEO agendi gra-
tias, quod tot pientissimos ac con-
stantissimos veritatis Evangelicæ
assertores & propugnatores, iis
cum primis temporibus, quibus
vel maximè extincta vita est, su-
scitare voluerit. Sanè longâ fe-
rie celebratissima *Illustriss. Ve-
strarum Celsit. Majorum* facta de-
prædicari possent, quod uti ante
me alii uberius fecerunt, ac im-
posterum facturi sunt, ita in-
sum-*

PRÆFATIO.

summâ res eò redit, quod religio
nostra, verbo DEI exactè re-
spondens, Serenissima Domui Sa-
xonica, præprimis *Vinaria*, origi-
nem, incrementum & propu-
gnationem, si à DEO discesseri-
mus, unicè debeat.

Atavus Vestrarum Celsit. JO-
HANNES Dux Saxonie unâ cum
Fratre suo serenissimo FRIDERI-
CO, cui in Electoratu successit,
inclytam hanc ad Albim Acade-
miam fundavit, ex quâ postmo-
dum verbum Dei sincerum ope B.
Lutheri in totum orbem prodi-
it; cujus hoc proprium & singulare
semper fuit, est & erit fatum, ut
maxima studiosorum pars sacratis-
simo studio theologico sit debita, sic-
uti de hac serenissimi Atavi Ve-
stri Academiâ notantur pronun-
ciat.

PRÆFATIO.

ciat gravissimus Theologus
Hutter. b. m. Conc. conc. cap. 12.
pag. 430. Idem *Serenissimus Ve-*
strarum Celsitud. Atavus primari-
us fuit inter Protestantes, qui
non tantum serio mandavit
Theologis Wittenbergensibus,
ut propter instantia *Comitia An-*
gustana conscriberent, certam
confessionis formulam, sed & per
Cancellarium suum in palatio
Caesaris prælectam constanti &
invicto animo propugnavit.

Insigne *constantia* specimen,
quod *sanctissimus ille Heros ac*
Dux JOHANNES FRIDERICUS
Electer, Atavus Vestrarum Celsi-
tud. desideratissimus, uti perpe-
tuo, ita præprimis in reproban-
do & repudiando *libro Interimi-*
stico edidit, præterire sicco quod
ajunt

PRÆFATIO.

ajunt pede, nequaquam hinc possum: Non n. spes liberationis è vinculis tantum apud illum obtinere poterat, ut in librum illum ad 1548. consentiret, & Filiis suis idem ut facerent, autor suatorq; esset; sed modestè potius magno tamen & heroico animo, oratione satis proluxà respondit: *Se neutrum facere posse, nisi conscientiam vulnerare, in Spiritum sanctum peccare, & animæ suæ salutem negligere velit: Librum enim illum multa continere, quæ diligentius expensa, cum scripturis sacris è diametro pugnet; ac proinde se non posse filiis esse autorem, ut quod ipse pacat à conscientia facere nequeat, hoc illi facerent.* Conf. B. Hutt. in libr. Christ. conc. art. 10. cap. 1. pag. 1099. seq.

A A

Pro-

PRÆFATIO.

Pro avi Vestrarum Celsit. JOHANNIS WILHELMI ingentia merita celeberrima Jenensis Academia huncusq; in d. ē grato agnoscit corde, plenoq; stylo prædicat.

Pietatem virtutemq; Illustr. Vestrarum Celsit. Avi JOHANNIS immortalitati jam pridem consecrânt virosum eruditissimorum monumeta. Unicum gaudium in verbo Dei quærebat, idq; optabat quàm maximè, ut liberis Illustrissimis præcepta Dei quàm accuratissimè rigidissimèq; proponerentur, ratus non dari posse gaudium magis eximium, quàm ut illos in veritate verbi divini ambulantes videret. Vid. Bibl. Vinar.

*Illustrissimi Domini Parentis Domini mei Clementissimi laudes
fati-*

PRÆFATIO.

fatius est, ut universa patria, sub
cujus alis exulceratissimis hisce
temporibus tuta viguit, evehat,
ejusdemq; *paternam curam ac*
clementiam extollat, quàm ut e-
go minima ejusdem portio re-
citare (decantare n. aut referre
quî possim) hic annitar. Et cui a-
liàs ignota extra patriam no-
stram esse potest *mirifica illustris-*
simi Domini Parentis erga sacra li-
terarum studia benevolentia, cum
illam *munificentissima illustris Sa-*
lanae conservatio satis abundè at-
testetur?

Sed quid commemorandis
his inhæreo, quæ laude quavis
sunt sublimiora; ad *vestras Illustr.*
Celsitudines me converto, ad
quarum pedes *quadrigam hanc*
disputationum Logicarum submit-

PRÆFATIO.


lissimâ mente tanquam pignus
devotissimæ subjectionis offero
ac depono. Movet me atq; ad eod
instigat non tantum leviter jam
adumbrata, toto verò orbe cele-
bratissima *Serenissimorum Majo-
rum orthodoxia, & Illustr. Dn. Pa-
rentis pro patriâ cura, sed & de-
cantatissima Vestrarum Illustr. Celo-
sit. virtus ac pietas, quâ si non su-
perare, certè æquare Serenissimo-
rum Illustrissimorumq; Majorum*
facta cunctis viribus studetis. In-
signis sanè causa mihi totiq; pa-
triæ gratulandi de tantis *Heroi-
bus* nata est. Neq; enim posse
Remp. fieri feliciorum, quàm si
vel tales præfint, vel præfuturi
deinceps sint; omnes hactenus
sani non abs re existimârunt, i-
mò experti sunt.

A Ke-

PRÆFATIO.

A Vestris a. Illustr. Celsit. devotissimè peto, velint has paucissimas pagellulas tanquam humilissimæ subjectionis tesseras fronte serenâ atq; animo clementissimo respicere, meq; non tantum Majorum sed & *Vestrarum Illustr. Celsit.* virtutum admiratorem perpetuum atq; clientem obsequentissimum habere & æstimare; quâ in re, sicut summam felicitatis terrenæ non vanus ponam; ita pro incolumitate *Illustr. Vestrarum Celsitud.* totiusq; Serenissima Domûs Saxonica, ad DEum preces vota q; semper calidissima concipiam. Dab. Wittenbergæ, XXI. Mart. Anno MDC LI.

Celsitudinum Vestrarum
humilimus subiectissimusq; Client
M. Johannes Weisß. Senaco Thur.
Ad



Ad Lectorem.

Utrut me terreat, *Lector bene-*
vole, Momi in judicando per-
versas exercitationes hasce
meas Academicas quales-
cunqve alterã vice luci dare, ac non ni-
si invitus consenserim; monentibus
tamen amicis, quibus non parere, reli-
gio mihi, inductus annui, hoc solatio
contentus, si non omnibus placuero,
aliquibus tamen me placuisse. Si quem
a locum vota hinc mea obtinere que-
unt, candidum benevolumq; precor Le-
ctorem, velit, si quidem errantem in
quodam fortè deprehenderit, rem cum
re conferre, atq; amicè me monere;
habebit me, si erroris convictus fuero,
in confitendo paratissimum, sibiq; ni-
hilominus constantem in amore. Nun-
quam enim DEO juvante, committam,
ut liberalis exercitationis neccar in de-
testanda contentionis & rixarum fel-
convertatur; quæ verba B. Andr. Kes-

leri



lerum magni illius Theologi ac Philoso-
phi Praeceptoris nunquam sine hono-
ris praefatione nominandi, mea hac in
parte ut facere mihi liceat, peraman-
ter rogo. Si quid verò non appositè,
nec, ut esse quidem omninò debebat,
pelitè adeò dictum occurrerit, scias, me
meo non venificari honori, sed proximi
studere commodo, quod in verborum
perspicuitate & simplicitate potissimùm
suum esse, arbitrabar; cuius amore si
quid humani passus sum, homo homini
velim ignoscas, videasq; ne libe-
ralius culpando proximum, te ipsum culpes.
Quisquis enim se inculpatum dixerit,
aut superbus aut stultus est. Notabis
verba Hieronymi, quis hac sola homi-
num inquit, perfectio est, si imperfectos
se se noverint. Quod si verò verum quid-
piam à me prolatum est, grato animo
agnoscas, DEOq; qui solus omnis veri-
fons, omnisq; boni origo, acceptum re-
feras, cuius protectioni etiam te, quis-
quis es, Benevole Lector, me verò

Tuo favori commendo.

Clas

Clarissimo & Pereximio,
DN. M. JOHANNI WEISSII

De

Modalibus disputanti.

Qui ratione vales, fac dexteritate
Logismos

Perpicuâ tradas; nomen in ar-
te feres.

Discute difficiles tenebras nodosqve
Modales

Solve: moram studiis rumpe; pro-
batus eris.

Hic labor, hic laudes certamina mutua
ponunt:

Gloria pugnantem pellit agitq; virū.
ex animo gratulatur

Johan. Scharfius, Theol.
D. & Profefs. publ.

Ad Clarissimum

Dn. WEISSIUM, Amicum & Con-
terraneum suum honorandum.

Litera scripta manet, vox aera pul-
sat, abitqve:

Scripta docent, mentis munera
qvanta domi.

Quid referam *WBISSZ*, nostri pars cla-
ra Lycei?

Egregius labor hic pluscula verba
petit.

Sed summam facio. In natis si vivere
patres

Credimus, æternū tu superesse potes.

Johannes Sperling/ P. P.

Ad Clarissimum

*DN. PRÆSIDENTI M. amicū suū
honorandum.*

LAUS tua te celebrat, Præses, tua
rura paterna,
Te Sophiaq; virum, Leucoris
alma probat.

Gratulor ergo tibi patriæ spes : utere
famā,

Quā patriæ tandem commoda ma-
gna feres.

f.

Christophorus Mottnagel.

Sup. Math. Profess. publ.

Ad

Ad Virum CL.

DN. M. WEISIUM

De Modalibus scri-
bentem

Josua Arnaius, P. Cas.

Π Ἄντα σοφῶς, σοφῆ, πάντα σοφῶς
ἐνὶ τοῖσι μέγισον

Ὅστις ἔφυ γράψας, ἢν ἔχει, αἶνον
ἔχει

Ναὶ ἔτως, ἀναγνώσα, βίβλω ἐνὶ τῆδε μέ-
γιστος

Γνώσι μόνον, κείτω ἔτι ἔπαινος ὅλος
Πάντ' ἀπαθῶς, ΣΟΦΗ, παντ' ἐτύμως,
ἐνὶ τοῖσι κρείτισον

Ὅστις ἐναντιόει, εἰ ἔχει, ἀδλον ἔχει.

Ναὶ ἔτως καὶ ὧδε. Κρατεῖ ἀπλῶς τὸ Ἄλκ-
θῆς.

ἔνομα καὶ ἔργον, καὶ ΣΟΦΗ πάντα πέλει
Τί δὲ ἔπειτα; Γραφῆ αἶνον, κύδος τε Γρα-
φῆι,

Σέμμα βίβλω Ἄδλον δ' αὐ δόθη γηνα-
μίνο

Τάχα δ' ἔσεον ἀδλον ἀσφ.

Di



DISPUTATIO I.

Respondende

JOHANNES CHRISTIANO
von Hensberg / Lips. Misn.
hab. 29. April. 1650.

Materia[m] MODALI-
UM haud raro, si non ab
omnibus, tam n[on] a plerisque
obscure proponi solere,
imò ab ipsis Scholasticis ob spi-
nosissimas atque intricatissimas quæstiones
obscurissimam fuisse redditam, nemi-
ni non eruditorum cognitum & per-
spectum est, adeò, ut sine omni dubio
eò respexerit D. Hornius, quando In-
stit. Log. lib. 3. quæst. 40. num. 1. pag.
m. 402. in hac erumpit verba: *In ro-
tâ doctrinâ de formâ tum propositio-
num, tum syllogismorum, nihil diffici-
lius est tractatione modalium.* Interim
c[um]

φωσ
ἴνον
μέσ
Αοσο
ωσ
λκ
ληφ
εφ
ρα
σφ
δι

cum certissimum sit, quod Modalium naturam probè cognovisse perquam utile imò maximè necessarium sit, ita ut earum doctrinà in dissertationibus etiam Theologicis contra Adversarios, ad judicandum de eorum syllogismis modalibus, quibus interdum vel ingenii tentandi gratià, vel veritatis intricandæ causâ occurrunt, carere vix possimus, animum auxiliante Deo induximus, quædam de hac, quamvis aliàs modo jam declarato satis difficulti materiâ, meditari, & publico eruditorum examini subicere; propterea enim, ait Plur. Rev. & Excell. Dn. D. Dannhæverus Id. Bon. Diss. & Mat. Soph. sect. 2. artic. 13 § 78 pag. m. 293. quia difficilis nihil eâ habendum est antiquius, ut è viâ confragosâ tandem plana reddatur, quæ enim hæc vulgi dementia est, ut:

Ne verū agnoscat, discere posse neget?
 Conabimur autem ductu Celeberrimi nostri

noſtri Theologi pariter ac Philoſophi
Dn. D. SCHARFJ, Præceptoris & Pro-
motoris maximi, æternùm venerandi,
qui in enodatione hujus doctrinæ ac-
tiſſimã omnibus palmam præripit, e-
andem perſpicuè ac in quantum pote-
rimus, breviter explanare, *omiffis ſum-
mulistarum nugis ac tricis, quibus ce-
ptioſè deludunt tyronum animos, atq;
deceverent, ſicuti de iisdem pronunciat
Petr. Hurt. de Mèdoza volum. 1. ſum. m.
diſp. 4. ſect. 8. §. 27. de propoſ. mod.
pag. m. 136. Quod ſi præter ſpem no-
ſtramq; voluntatem ob humanæ in-
becillitatis rationem præſentisq; ma-
teriæ conditionem noſtrum in omni-
bus non obtinuerimus finem, nihilo
tamen minus non iniquum æ qui Le-
ctoris nobis pollicemur judicium,
DEUM veneramur, noſtris clem-
ter aſſe velit auſis!*

1.

UT autem doctrinam hanc dextrè
pro-

proponamus, necessum est, latitan-
tem in enunciationum *Modis ambi-*
guitatem, quorum à Scholasticis tria
adducuntur genera, ante omnia evol-
vamus.

2. Primum genus partes enun-
ciationum determinat, h. e. subjectum
& prædicatum. Quales modi sunt 1.
omnia adjectiva substantivis addita,
ut: *Salomon fuit Rex sapiens*, 2. Inter-
dum etiam substantiva adjecta vel per
appositionem, ut: *David filius Isai fu-*
it pius; vel per constructionem singu-
larem, ut: *Maria est mater Christi*.
3. Integræ descriptiones vel principa-
libus subjectis, ut: *Christus eternus e-*
terni DEI Patris filius est homo; vel
prædicatis addita, ut: *Mulier est alli-*
gata viventi viro per legem. 4. Non-
nunquam etiam adverbialia partem
principalem limitantia, ut: *Deus non*
est Deus mortuorum sed viventium. 5.
Omnia adverbialia, quæ determinant,

ut:

ut: *Saulus torvum videt*, 6. Omnes itidem particulae exclusivae, ut: *Sola fides justificat*. Exceptivae, ut: *Omnis homo praeter Christum est peccator*. Restrictivae, ut: *Christus quia Deus genitus est a Patre ante secula*. Confer: pædia B. Jac. Mart. Praeceptoris desideratissimi lib. 1. cap. 6. pag. 258. Alterum genus totam enunciationem determinat, sed determinatione tantum externâ, quæ fit vel solum per ordinem ad hominem sive nostrum intellectum, quâ ratione illae particulae creditum est, auditum est, scitum est, dicuntur modi, ut: *Creditum est omni tempore, Messiam debere esse Δεόν & ποσόν*. *Auditum est semper in Ecclesiâ, filium DEI in veteri testamento Patribus apparuisse*. *Scitum est, hominem fide justificari sine operibus legis*. Vel per habitudinem duntaxat ad objectum sive rem enunciatam, quo pacto ab Aristot. libr. de Interpret. (in exemplari Lugduni apud Guillelmum

La-

Læmarium M. D. XC. excuso) part. 4. cap. 14. in fine pag. 27. verum & falsum inter modos recensentur, ut: *Verum est electos salvari. Falsum est impios placere DEO.* Tertium genus totam terminorum compositionem in sese determinat, adeoq; adjicit rationem & modum, secundum quem predicatum inexistit subiecto, & ita specialem extremorum ad se invicem habitudinem exprimit. Atque de hoc ultimo modorum genere propositionem propriè modalem constituente nobis impræsentiarum sermo est, quam ita definimus:

3. MODALIS propositio est, in quâ dicitur aliquid inesse vel non inesse sub modo aliquo. In quâ definitione duo notanda veniunt. 1. Dicitum, 2. Modus. *Dicitum est oratio absoluta, quæ in modali includitur. Modus autem est illa particula, quæ absolutæ superadditur, quem ita finis*

¶

modus: Modus est determinatio copulae, quae ostenditur, sub qua modo praedicationem insit vel non insit subiecto, ut in hac: *Neceffe est Deum ulcisci scelera.* Dicitur est *Deum ulcisci scelera.* Modus est *neceffe*. Dicitur vero *modus* a suo officio, quia, in quantum sumitur *formatiter & Logicè*, copulam modificat, eandemque determinat; quare rectè asseritur, quod sit *determinatio*, & quidem non qualibet, non extrinseca, respiciens vel intellectum, vel rem enunciata, de qua modo dictum, sed ipsam enunciationem, adeoque *intrinseca*, afficiens principalem enunciationis copulam, quae extrema enunciationis connectuntur, ejusdem compositionis variatur, & peculiaris praedicationi in subiecto inexistencia indicatur.

4. Atque hujusmodi modi tantum quatuor sunt, nec plures, nec pauciores, ut: *Neceffe, Contingens, Possibile, Impossibile*; quarum sufficientia inde

sol-

colligitur: Quicquid enim dicitur esse, id vel actu esse dicitur, vel potentiâ. Si potentiâ, oritur inde modus possibilis; si verò actu, duplici id fit ratione: Vel enim ita actu esse dicitur, ut aliter se habere non possit, & sic est modus necessarius; vel ita actu esse dicitur, ut aliter se habere possit, & sic est modus contingens; Vel deniq; ita se habet aliquid, ut neq; actu neq; potentiâ esse dicatur, & sic est modus impossibilis. Ex quibus clarum erit, quâ ratione modi hi in propositionibus differant, nempe primus modus de *Necessesse* prædicatum ita dicit inesse subjecto, ut non possit non inesse, ut: *Necessesse est Deum esse Iustum*. Alter modus de *Contingenti* prædicatum ita dicit inesse subjecto, ut possit non inesse, ut: *Contingens est Titum vastare Hierosolymam*. Tertius modus de *Possibili* prædicatum. Ita dicit non inesse subjecto, ut possit inesse, ut: *Possibile est hodie valentem*

cras mori. Quartus modus de *Impossibili* prædicatum ita dicit non inesse subjecto, ut nec possit inesse: ut: *Impossibile est Deum mentiri.* 5. Perinde autem est, sive efferantur hi modi per nomen *Necesse*, *Contingens*, *Possibile* aut *Impossibile*, sive per adverbium: *necessario* aut *contingenter*, sive per *Verbum potest*, aut *non-potest* nulla inde metuenda est sensus seu significationis prioris mutatio, sed *sensus manet idem*, eademq; *significatio*, ita quidem, ut proinde errare illos existimemus, qui modales compositas à divisis ita distinguere satagunt, ut illic modus sit *nomen necesse* &c. hic v. sit *adverbium necessario* &c. Hoc saltem cum præceptore nostro honoratissimo Dn. D. *Scharfio* Inst. Log. lib. 2. c. 6. pag. 382. & prælect. publ. in Man. Log. cap. 8. monendum esse ducimus, *Adverbialem* illam elocutionem, quæ fit per *necessario* & *contingenter* & *verbalem*, quæ fit

B

PER

per potest, & non potest, in his enun-
 ciationibus omnium esse 1. Convenien-
 tissimam & maximè accommodam, &
 quæ non modò exactè congruit no-
 minalibus, earumque sensum empha-
 ticè ac nervosè exprimit, verùm et-
 jam totam modalium naturam appo-
 sitè & distinctè declarat; 2. Esse anti-
 quissimam & à plurimis Philosophis,
 Petro Hispano, Thomæ, Michaelè Psel-
 lo, imò etiam ab ipsis Interpretibus Isa-
 aco Casaubono & Julio Pacio non neg-
 lectam, qui familiarissimam illam A-
 ristotelis phrasin $\delta\epsilon\ \alpha\nu\alpha\gamma\eta\varsigma$ ex necessi-
 tate I. Analyt. prior. cap. 3. 11. & 12. &c.
 per adverbium necessariò; it. libr. de
 Interpr. cap. 14. modum $\delta\upsilon\nu\alpha\lambda\omicron\nu$ per
 potest, & I. Analyt. prior cap. 13. mo-
 dum $\alpha\delta\upsilon\nu\alpha\lambda\omicron\nu$ per non potest reddunt.
 Quia imò ipse Aristoteles libr. de Inter-
 pr. cap. 14. $\delta\upsilon\nu\alpha\lambda\omicron\nu$ exponit per $\delta\upsilon\nu\alpha\delta\alpha\iota$,
 & I. Anal. prior. cap. 3 & 12. &c. eundem
 $\chi\omicron\mu\epsilon\nu\omicron\nu$ $\epsilon\nu\delta\epsilon\ \chi\epsilon\alpha\delta\alpha\iota$, Quæ sine dubio cau-
 sa est,

sa est
 Philo
 nus i
 Dan
 Gutk
 syst.
 Nibu
 mā, j
 mā, c
 enūc
 lib^o c
 mæ d
 mis a
 segq.
 Dep
 diffic
 nem
 circa
 varie
 dem
 evite
 am i
 riori

saest, cur accuratissimi recentiorum
 Philosophorum, ut plurimum hacten-
 us isthac usi fuerint formulâ. Vid.
 Dannhaw. Id. Bon. Disp. sect. 2. art. 13.
 Gutk. Log. div. c. 5. pag. 317. Keckerm.
 syst. Log. 1. 2. cap. 3. can. 3. pag. 331.
 Nibus. disp. Log. 4. 3. *Esse expeditissi-*
mâ, facilimam, & in usu Logico aptissi-
mâ, quâ omnis ferè ambiguitas formæ
 enūciandi, quæ in modalibus nomina-
 lib^o occurrere solet, tollitur, nec mini-
 mæ difficultates, quæ aliàs intricatæ ni-
 mis atq; perplexæ, removentur, uti ex
 seqq. patebit. Notanter a. dicimus, ferè:
 Deprehendimus enim, ni mens fallit,
 difficultatem aliquam circa exposi-
 tionem modi de *impossibili*, quæ in primis
 circa *oppositionem, & consecutionem* ob
 varietatem particulæ *NON* nobis quî-
 dem suboriri videtur; quam, ut sedulo
 evitemus, arbitramur, posse quempî-
 am in ejusmodi Enūciacionibus *obscu-*
rioribus, non quidem ob *copula defe-*

Etiam, sed ob majorem sensus perspicuitatem, in iis, quæ sint ratione formæ affirmativæ, pro ratione antecedentis ante particulam *NON* ponere *EST ILLE QUI*, ut: Homo *EST ILLE, QUI* non potest non esse animal. Nec minus in iis, quæ sint negativæ, post particulam *NON* collocare *EST ILLE QUI*, ut: Homo non *EST ILLE, QUI* non potest esse animal. Aut, si hæc non ardeat expositio, liceat nobis cum Thomæ opusc. de Enunc. cap. 2. Mich. Pseudo-Isidors. org. lib. 1. cap. 10. & CL Scheibi. tract. Log. de prop. cap. 7. n. 16. pag. m. 183. adverbiali illâ expositione, quæ fit per *IMPOSSIBILITER*, uti. Nec quæquam moveat, quod violenter non nihil ejusmodi propositiones videantur efferri; siquidem elegantem concinnitatem non tam spectare hic debemus, quam nudam rei veritatem, pronunciantem Nihilusio disp. 4. de Enunc. Mod. th. 52. pag. 79. quâ

ob

observatâ, nihil hîc etiam erit incommoditatis, judicante Keckerm. syst. Log. lib. 2 cap. 3. can 3 pag. 333. *Per samur n. in scholis Philosophorum & Logicorum, non Grammaticorum, mōnente Henr. Nicol. Gymn. Log. rep. diatr. 12. de syll. mod. th. 13. pag. 251.* quibus ejusmodi voces satis bonæ si modo satis appositæ. Quòd si verò & hæc expositio non est ad palatum, concessum nobis saltem sit loqui cum Plur. Rev. & Præcell. Dn. D. Dannhæwero, qui in iis, quas vult esse divisas, modum de impossibili reddit per *adverbes* & quam loqvendi formulam *evitandæ confusionis gratia* in hujusmodi enunciationibus tantum retinemus, in quibus faciliè terminorum mutatio oriri potest, alias exceptis hisce *enunciatis*, expositionem illam, quæ sit per **NON POTEST**, ob dictas rationes præferendam esse urgemus.

6. *Es expositionis hujus modorum*

B 3

alia.

aliorum utilitas statim sese prodit,
 quādo de nominalium modorum for-
 mulā circa locationem eorum dispu-
 tamus. Quamvis enim hic cum *Peir.*
Hurr. de Mend. voluar. 1. summi. disp.
4. lect. 8 §. 29 pag. 177. Jac. Mart.
Inst. Log. lib. 3. cap. 13. pag. 296. Kes-
ler. Inst. Log. lib. 2. cap. 7. can. 1. Her-
mez. Inst. Log. lib. 3. quest. 39. num. 7.
pag. 399. Exerc. Log. 6. h. 54. pag. 192
nec non Arist. in not. ad Mag. Log.
Crell. part. Comm. libr. 2. cap. 6. de
Interp. pag. 276. verum esse statuamus,
eandem semper enunciationis manere
formam, eundemq; illius sensum, modus
sive primo sive medio sive ultimo ponatur
loco, ita ut nihil intersit, sive dicamus:
Necesse est hominem esse animal, sive:
Hominem esse animal necesse est; sive:
Hominem necesse est animal esse. Mini-
 mē tamen cum Præceptore nostro co-
 lundissimo Dn. D. Scharfio præl. publ.
 l. c. dissimulandum est, formulam illā

mo-

modalium nominalium suis non carere difficultatibus. Quemadmodum n. (liceat nobis uti verbis modo laudati Viri) diversitas sensus dicitur esse in modo impossibile & negato dicto, sic quoque in aliis modis ambiguitas orationis se offert, ita ut diversimode exponi queant, cum modus non raro varie illic sumatur vel in actu exercito, vel in actu signato, itemque vel predicatum aut subiectum esse possit, vel ad copulam referatur. Hactenus noster Praeceptor. E quibus hoc saltem notamus, quod difficultas isthaec adhibitam expositionem nostram prorsus evanescat. Et, si libertas philosophandi nobis concedatur, salvis aliorum iudiciis ingenuè fateri cogimur, non opus esse, ut quis excipere velit. I. modum de impossibili; sive enim dicamus: Quoddam corpus impossibile est esse nigrum. Sive dicamus: Impossibile est quoddam corpus esse nigrum, utraq; quæ proprie modalis est, unicum includit sensum,

qui

qui tum in hac tum in illâ unus idem-
 que. Utraq; hoc vult: *Quoddam cor-
 pus non potest esse nigrum.* Quod autem
 prior sit vera posteriore falsa existen-
 te, id non tam ex diversa modi locatio-
 ne, quam ex diversa subjecti subsumtio-
 ne oritur, quâ ratione ipsimet lubentes
 largimur, quod & hæc nostra jam ex-
 posita oratio pro diversi subjecti consi-
 deratione in idem modò possit dici ve-
 ra, modò falsa, cum tamen in se ma-
 neat una, ejusdemq; unus sensus. Reti-
 neatur ig. unum subjectum, de quo præ-
 dicatum enuncietur, & utraq; propo-
 sitionum illarum priori loco posita-
 rum erit vel vera, vel falsa, vera respec-
 tu nivis, falsa respectu corvi. Nec
 cet excipere. 2. *Dictum negatum*; quod
 enim ibidem alius emergat sensus, exi-
 stimamus, id non modo, qui in hac:
Nullum hominem necesse est esse doctum,
 in medio; & in hac: *Necesse est nullum
 hominem esse doctum,* ab initio locatur;

ve-

verum potius *diverso signi negativi si-*
tui, quod in priore vere *integrum re-*
movent praedicatum a subiecto, nequa-
 quam in posteriore, cuius tantum *pars*
 tollitur, adscribendum esse, de quo in-
 fra th. 15. 16. Praferenda ergo adhuc
 ob difficultatis & obscuritatis remotio-
 nem nostra *expositio*.

7. Praeterea ex data modorum
 expositione constat, quid de *Rami lib.*
 7. Schol. Dial. cap. 8. ejusdemq; asse-
 clarum dictorio sit sentiendum, qui pu-
 tant, *modum in modalibus esse praedica-*
tum. Quod vero felicius progrediamur,
 ut quivis deprehendat, de quam
 modali jam nobis sermo sit, praesup-
 ponenda est distinctio propositionis
 modalis *incompositam & divisam*, cum
 de utraq; ob essentialia discrimen, quod
 potius ex *copulae diversitate*, quam ex
verborum transpositione originem trahit,
 non idem omnino ferendum sit judici-
 um, quam tamen non raro viros alias

doctissimos videmus negligere, vel u-
nam cum aliâ confundere, sicq; non
tâm feliciter hanc, ut alias solent, de
modalibus doctrinam proponere.

8. Est 2. *Composita* modalis (analo-
gicè sic dicta) in quâ subjectum est to-
tum illud, quod præter modum poni-
tur, nimirum dictum integrum, mo-
dus v. est prædicatum. v. g. sit hæc: *Ho-
minem esse animal, est necessariû*, poni-
tur in hac loco subjecti, *Hominem esse
animal*, adeoq; dictum integrum, de
quo solus jam prædicatur modus, *est
necessarium* qui (modus) in hujusmodi
& similibus orationibus non notat, ne-
xum esse taliter vel taliter modifica-
tum, cum copulam habeant non ali-
am, quàm qualem exposcunt absolute,
secus a. fit in divisis. *Divisa* v. modalis
est, in quâ dictum interpositô modô
dividitur, ut non amplius pro uno stet
termino, sed pro duobus, subjecto &
prædicato, v. g. *Ignem ustivum esse ne-
cesse*

cesse est ; in hac dictum *Ignem ustivum esse*, dividitur ita, ut non integrum sustineat locum subjecti, sed pars saltem ejus, *Ignem* scilicet ; altera a. pars unâ cum modo, quo mediante dicti hujus fit divisio, obtinet locum prædicati, scilicet : *Ustivum esse necesse est*, vel : *Necesse est ustivum esse*. Et hoc evidens est ex expositione v.g. *Ignis necessario est ustivus*. Hæc enim non solummodo cum priore unum & eundem habet sensum, uti benè cõcedit Vir Rev. Dn. M. Prücknerus libr. de artif. disp. part. 2. tr. 1. cap. 3. reg. 3. §. 1. pag. 36. seq. verum etiam unam eandemq; orationis formam, adeoq; æqvè prior divisa fuit ac posterior. De distinctione hac plura legi possunt apud *Barthol. Nibis*. disp. 4. de Enunc. Mod. th. 2. 3. 4. cujus sententia h. e. nobis per omnia probatur.

9. Hac præmissâ, & ad motâ nostrâ expositione receptâ, unicuiq; manifestò

con-

constabit, modos in hisce enunciativis
 v. g. *Homo necessario est animal. Homo
 contingenter est doctus, Homo potest fie-
 ri Doctor. Homo non potest esse lapis,*
 non integra absolvere predicata, sed
 unâ cum additione subsequencium ter-
 minorum, ita ut totum predicatum
 sit, *Necessario est animal, Contingenter
 est doctus, potest fieri Doctor, Non pot-
 est esse lapis.*

10. Explicatis hisce, constans no-
 stra assertio est, *modum in verâ & pro-
 priè dictâ modali, qualis non est com-
 posita, sed divisa, quæ sola modificat
 propositionis dispositionem, & de quâ
 theses loquuntur, non esse predicatum;*
*percinere autem illud ad copulam pro-
 positionis, imò non ad nudam copulæ
 determinationem, sed esse unâ essen-
 tialem & intrinsecam predicati modi-
 ficati conditionem seu partem, omninò*
 cum Præceptore Domino D. Scharfio
 Promotore studiorum nostrorum æ-

la

tatē venerando Inst. Log. de Mod.
Enunc. lib. 2. cap. 6. pag. 384. & Præl.
publ. cap. 8. dicimus.

11. Quoad prius, cum laudato
Theosopho ostendimus 1. ex appella-
tione & definitione modalis propositio-
nis, quæ ideò talis propriè vocatur,
cū modus non nudè materiam ter-
minorum, sed ipsam determinet co-
pulam, quâ prædicatum cum subjecto
conjungitur, adeoq; ob hanc modifi-
cationem peculiarem constituit enun-
ciationem. 2. ex officio modi, quod est
compositionem sive dispositionem
prædicati determinare, & specialem
extremorum de se invicem habitudi-
nem exprimere, de quo etiam supra
dictum. 3. ex definitione veri modi, quæ
est determinatio copulæ, seu *ἁπλοῦς*
ἢ σύνθετος additio determinans *ἁπλοῦς*
sive compositionem verbi, & osten-
dens, quâ ratione prædicatum insit vel
non insit subjecto, De quâ itid. supra
actum

actum fuit. 4. ex distinctione modi materialis & formalis. Ille sic dicitur, quod ad materiam termini sive subjecti sive prædicati immediatè pertineat, eamq; determinet. Hic verò, quod ad formam orationis pertineat, adeoque copulam afficiat. 5. Ex natura diversorum modalium quæ per modum ita dividuntur, ut copula per modum afficiatur, indeque unum extremorum modificatè alteri dicatur inesse. 6. Ex oppositione & negatione modalium, quæ fit penes modum, de quâ thes. 16. & seq. disputatione. Certum igitur & immotum est, modum pertinere ad orationis copulam. Vid. B. Jac. Marr. Inst. Log. lib. 3. cap. 12. pag. 295. Heintz. Höpffn. comm. Log. in libr. πειρῆς cap. 12. pag. 655. seqq. Corn. Marr. comm. Log. adv. Ram. lib. 2. cap. 50. pag. 232. Horn. Inst. Log. lib. 3. quæst. 39. num. 5. pag. 399. & Exerc. Log. 6. th. 53. pag. 192.

13. Quo

12. Quoad posterius autem, modum
 scilicet unam etiam sese exerere in dicto præ-
 dicati, ita quidem, ut non sit nuda co-
 pulæ determinatio, sed essentialis quo-
 que prædicati modificati pars seu conditio
 ejus interna, hoc cum sæpius laudato
 nostro Dn. D. Scharfio exinde deduci-
 mus; 1. Quia totum prædicatum red-
 dit modificatum, adeo quidem, ut il-
 lud aliud fiat terminus absoluto, V. G.
 quando dicimus: *Adam potest labi*, ibi
 profecto longè aliud est *labi*, & ali-
 ud *potest labi*; hoc posterius enim ter-
 minum notat *modificatum*, nequaquam
 verò prius. 2. Quia pertinet ad com-
 plementum & integritatem prædicati,
 aliàs enim & sine modo terminus non
 esset modificatus sed absolutus. Sic
 exemplum: *Homo potest mori*, certè in
 resolutione hujus modalis non licet
 verè dicere; *Homo* est subjectum, *mori*
 est prædicatum, respectu enim poste-
 rioris enormiter quis circa resolutio-
 nem

ima-
 ue,
 ubje-
 neat,
 od ad
 oque
 ivisa-
 ta di-
 n affi-
 rum,
 . Ex
 , quæ
 6. &
 kim-
 ora-
 . Inst.
 leinr.
 i ep.
 Marc.
 ap. 5.
 vast.
 og. 6.
 Quo-



nem hujus propositionis erraret, necessarium proinde est, ut voces istæ *potest mori* simul sumantur, alias mutilatè poneretur prædicatum. 3. Quia in conversione propositionis, uti in seq. disp. ostendemus, cum prædicato convertitur. 4. Quia in structurâ syllogisticâ absq; vitio syllogismi separari nequit à prædicatō, quod volente DEO disput. tertiâ ad oculum demonstrabimus. 5. Addimus & hoc, quia afficit copulam, ita ut non detur vera modalis propositionis forma, nisi copula sit modificata, uti in confesso est, hinc omninō mediante copulâ, quæ insinseca & essentialis ipsius prædicati est conditio, ipsum etiam modum ad prædicatum referendum esse putamus. Atq; ita quoque, uti quidem nobis videtur, evicimus, modum unâ partem esse prædicati modificati, de quō hodiè potissimūm controvertitur, quâ in parte Plur, Rever. & Ampliss. Dn.

D. Damm

D. Dannhaw. Id. Bon. Disp. sect. 2. art. 13. §. 84. pag. m. 304. seq. it. Gutk. Log. div. pag. m. 313. nec non Nibus disp. 4. de En. Mod. th. 18. pag. 65. nobiscum etiam sentiunt.

13. Ex hisce jam dictis sponte sequitur decisio illius controversiæ: *An modalis specie distingvatur ab absolutâ?* Quam omninò affirmamus. Dicimus autem notanter *ab absolutâ*. Quod enim *à simplici* nō differat specie, concedimus, quâ ratione à M. Spengl. Exerc. Log. 4. can. 2. rectè opponitur *compositæ*. Verùm *simplex* illa ab Excell. Dn. D. Dannhaw. Epit. Dial. part. 1. cap. 5. pag. m. 77. rectissimè subdividitur in *absolutam & modalem*, & sic prorsus *specie eam ab absolutâ differre arbitramur*. Nulla enim tunc copulæ cum absolutâ datur *identitas*, sed potius *diversitas*, quoniam copula non est absoluta, quæ absolutè rem dicit, sed modificata, quæ utiqve à modo

non

non est libera. Fatetur a. Celeberrimus
 Do. D. Dänhau. Id. Bon. Disp. sect.
 2. art. 13. §. 84. pag. m. 304. quod per
 copulam sola formaliter una propositio
 ab aliâ distingvatur; jam si hoc est, in-
 fallibiliter sequitur, quod per copulam
 modificatam propositio modalis diffe-
 rat formaliter ab absolutâ, adeoq; sta-
 tuimus, quod per illam diversam co-
 pulam tanquam per diversam formam
 constituentem propositio modalis spe-
 cie distingvatur ab absolutâ. Nec mo-
 dus præcisè spectat tantum ad determi-
 nationem prædicati sive partem prædi-
 cati, nec præcisè est tantum pars copulae,
 sed in modalibus propriè dictis, ita per-
 tinet ad propositionis copulam, quam
 afficit, determinat atq; modificat, ut
 simul sit pars intrinseca & essentialis
 prædicati modificati, sicut in præce-
 dentibus fufius dictum est. Nec opus
 est, ut modus, quia est pars copulae, in
 conversione unâ cum copulâ loco præ-
 dica-

dicati *immotus* *stet*, siquidem *copula* *i-*
psa in conversione haud est immobi-
 lis, sed ita *movetur*, ut in convertente
 loco praedicati *alia* substituatur copu-
 la, quae antea *latitabat* in *subjecto* con-
 versae. Nec obstat istud *Nihusii* disp. 4.
 de En. mod. th. 21 pag. 66. quod mo-
 dus etiam pars *subjecti* nonnunquam
 fiat, ut haec: *Quod necessario est ani-*
mal, substantia est. Quod contingenter
dormit, est animal. Haec enim desinunt
 esse modales, & sunt potius absolutae,
 quia *modus* in *eiusmodi* saltem est *pars*
materialis *subjecti*, non *formalis*, quae
 sola absolvit modalem, sicut monitum
 fuit. Nec quicquam refert, quod quam
 plurimas *affectiones* habeant *commu-*
nes cum absolutis, siquidem & ipsae e-
 nunciationes *simplices* in plurimis co-
 veniunt *cum compositis*, V. G. in *verita-*
tate, falsitate, affirmatione & negatio-
ne, nec tamen ideo *specie* identifican-
 tur. Vid. D. Horn, Inst. Log. de prop.
 mod.

mod. lib. 3. quaest. 39. num. 4. seqq. pag. 398. seqq. Sed satis de hisce.

14. Restat, ut paucis nunc agamus de modalium affectionibus, & primò quidem de earum QUALITATE. Cùm verò hic præcipua modi habenda sit ratio, utpote qui tota anima enunciationis modalis est, quemadmodum loquitur Clariss. Corn. Marr. comm. Log. adv. Ram. lib. 2. cap. 6. pag. 240. & propter cum laudato Philoſopho, & Præceptore nostro jugiter colendo Dn. D. Scharſio Inſt. Log. lib. 2. cap. 3. pag. 308. seqq. it. Heinv. Höpffn. comm. Log. in libr. πειρ. cap. 12. pag. 671. Horn. Disp. Log. 5. th. 11. pag. 83. nec non Stabl. not. in comp. Dial. Horn. lib. 2. cap. 8. existimamus, qualitatem in modalibus quatenus sunt tales, non penes dictum sed penes modum fieri debere, ita ut illa dicatur modalis affirmans, cujus modus affirmatur, quod etiam de modo impossibili non quidem

dem
ma
ius m
sit in
Hoc
ne co
gant
iis ev
affir
non
gatio
15
verè
prob
quoc
quã
pred
nis se
gatu
extr
lit, c
tur c

dem ratione significati sed ratione formæ est verissimum; illa a. *negans*, cuius modus negatur. Quomodo v. hoc sit intelligendum, mox indicabimus. Hoc duntaxat prius est monendum, ne confundantur affirmantes cum negantibus, & vice versa, quod sæpius in his evenire videmus, quæ non sunt purè affirmantes, quales sunt istæ, in quibus nonnunquam soli dicto apponitur negatio.

15. Ut itaq; naturam propositionis verè affirmantis & negantis modalis probè cognoscamus, notandum est, quod illa demum verè sit *affirmans*, in quâ non totum de subiecto removetur prædicatum, nec connexio enunciationis seu copula prædicati, modificati negatur, libet fortassis ob remotionem extremi seu partis prædicati negativa sit, quando absolutè sine modo effertur quales sunt:

Ne-

Necesse est nullū hominem esse brutum.

Necesse est nullam ignem esse frigidum.

Contingit hominem non esse doctum.

*Contingit quoddam currens non esse
hominem.*

Possibile est hominem non peccare.

Impossibile est hominē non esse animal.

Hæ enim, quod non sint negantes mo-
dales, sed potius ob dictam rationem
affirmantes, patet ex expositione ea-
rum, quæ talis est o:

Omnis homo necessario nō est brutum.

Omnis ignis necessario non est frigidus.

Homo contingenter non est doctus.

*Quoddam currens contingenter non
est homo.*

Homo potest non peccare.

Homo à surālo non est animal.

Quæ præpositiones hoc volunt.

*Necessum esse, ut omnis homo non sit
ob brutum.*

*Necessum esse, ut omnis ignis non sit
frigidus.*

Con-

Contingens esse, ut homo non sit doctus.

Contingens esse, ut quoddam currens
non sit homo.

Possibile esse, ut homo non peccet.

Impossibile esse, ut homo non sit animal.

16. Negans autem illa est, non
quando modus precisè negatur, quæ
coincidit cum absolutâ seu modali
compositâ, nec quando pars dicti ne-
gatur, non negatô modô, uti modo in-
dicatum, sed quando negatur modus re-
spectu inexistentiæ cum annexâ parte
ipsius dicti, quæ cum modo integrum
absolvit prædicatum. Breviter: Ne-
gans est, quando removeretur modifica-
tum prædicatum, quatenus est tale & in-
tegrum. Sic negantes sunt datæ pro-
positiones hoc sensu & situ prolatae:

Non necesse est, omnem hominem esse
brutum.

Non necesse est, omnem ignem esse fri-
gidum.

Non contingit, hominem esse doctum.

Non

Non contingit, quoddam currens esse
hominem.

Non possibile est, hominem peccare.

Non impossibile est, hominem esse ani-
mal.

Quod videre est ex ipsa expositione,
quæ talis esto:

Nullus homo necessario est brutum.

Nullus ignis necessario est frigidus.

Homo non contingenter est doctus.

Quoddam currens non contingenter
est homo.

Homo non potest peccare.

Homo non aduersus est animal,

Quæ propositiones hoc volunt:

Non necessum esse, ut omnis homo sit
brutum.

Non necessum esse, ut ignis sit frigidus.

Non contingens esse, ut homo sit doctus.

Non contingens esse, ut quoddam cur-
rens sit homo.

Non possibile esse, ut homo peccet.

Non impossibile esse, ut homo sit animal.

E qui

E quibus omnibus planum est, quod multum ab affirmantibus impuris suprapositis differant, siquidem illæ veræ sunt, hæ verò secundum sensum modalem falsæ.

17. Nunc ad **QUANTITATEM** accedimus, quam cum *Nibusio* disp. 4. de Enunc. Mod. th. 29. seq. pag. 70. & *Scheibl.* tract. de propos. cap. 7. tit. 2. artic. 3. quæst. 2. n. 29. pag. m. 191. desumendam esse statuimus è *subiecto*, ita ut ea sit & dicatur *Universalis*, cujus subiecto præfigitur signum universale, v. g. *Omnis homo est necessario doctus. Nullus homo est necessario doctus. Particularis*, cujus subiecto præfigitur signum particulare, v. g. *Quidam homo est necessario doctus. Quidam homo non est necessario doctus. Indefinita*, cujus subiecto communi nullum signum præfigitur, v. g. *Homo est contingenter doctus. Singularis*, quæ constat subiecto singulari, v. g. *Plato est contingenter*

C

ter

ter doctus. *Quantitas a. quæ communiter ex modis desumitur, quæ ratione necesse & Impossibile, non contingens, & non possibile absolute signent propositionem universalem, non necesse & non impossibile, Contingens & possibile particularem, quemadmodum docet Petr. Hurt. de Mend. volum. 1. summ. disp. 4. sect. 8. §. 30. pag. 138 & sect. 11. §. 41. pag. 146 Fons. Inst. Dial. libr. 3. cap. 10. pag. 124. ea non est perpetua, siquidem propositiones dantur, in quibus tales deprehenduntur modi, v.g. Quoddam corpus necessario tendit deorsum. Substantia quædam necessario necessario movetur, quæ tamen non sunt universales, sed particulares. Par ratione dantur propositiones ex modis de Contingenti & possibili constantes, v.g. Omnis homo contingenter est doctus. Omnis equus potest hinnire, nec tamen particulares sed universales sunt. Quod præterea*

ma-

manifestum nobis esse videtur in iis, quæ sine quantitatis signo prolata tamē ob hunc sive istum modum non notant vel propositionis universalitatem vel particularitatem, si enim dico: Homo necessario salvatur, hæc profectò propositio æquè non est dicenda ob modum necesse universalis, ac illa: Homo potest ridere, ob modum possibile particularis, cum prior potiùs æquipolleat particulari posterior verò universali, uti norunt peritiores Logici. Nec quicquam juvat temporis universalitas, quam vulgò inculcare solent; nondum enim hac obtinetur universalitas subjecti, notante Excell. Dannhau. syl. 3. can. Log. diatr. 5. can. 14. pag. 57. quam nos urgemus. Imò si hæc temporis universalitas quantitatem conciliare posset, sequeretur, quod & hæc propositiones: Semper quidam homines sunt docti. Ignis semper est calidus. Petrus semper est rationalis, dicen-

dæ essent *universales*, cum & hic ead.
 detur. Præterea nec ipsa *temporis uni-*
versalitas semper in ejusmodi propo-
 sitionibus modalibus *conspicitur*, quan-
 do n. dicimus: *Lazarus necessario mo-*
ritur. Petrus in mari ambulans neces-
sario movetur. Bartimæus cæcus non
potest videre, ibi sanè neutra propo-
 sitionum *universalitatem temporis in-*
 cludit, non obstante quod priores duæ
 constent modo de *neceffe*, ultima mo-
 do de *impossibili*. Falsum n. est, quod
Lazarus omni tempore moriatur, datur
 n. tempus, quo vixit, & de micis divitis
Epulonis salutari petiit. Falsum est,
 quod *Petrus omni tempore motus sit*,
 datur n. tempus, quo cum Christo ac-
 cubuit. Falsum est, quod *Bartimæus*
cæcus nullo tempore viderit, datur n.
 tēpus, quo Christus visum ipsi restituit.

18. Cæterum *affectiones reliquæ* nunc
 essent *discutiendæ*, sed ne leges Am-
 plissimi Collegii nostri Philosophici
 transgredi videamur, futuræ eas re-
 servamus *disputationi*,



DISPUTATIO II.

Respondente

M. JOHANNES Kath/ Scharz-
felda Grubenhagiaco,
hab, 15, Maji.

I.

Naturam Modalium, illasq;
earundem affectiones, quæ
enūciationem *seorsim* sum-
tam respiciunt, in præce-
denti vidimus disputatione. Paucis eæ
nunc restant excutiendæ, quæ ex dua-
rum vel plurium enunciationum colla-
tione resultant, quarum prima est OP-
POSITIO.

2. Hanc quod concernit, arbitra-
mur, illam, *presuppositâ absolute pro-*
positionis veritate, & observatâ in præ-
disp. sæpius inculcatâ expositione, sine
ullo labore in omnibus tribus oppo-

C 3

litio.

tionum speciebus institui posse, e. g. in subcontrariis.

Quidam homo necessario est doctus.

Quidam homo non necessario est doctus.

It. in contrariis :

Omnis homo necessario est doctus

Nullus homo necessario est doctus.

It. in contradictoriis

Omnis homo necessario est doctus.

Non omnis homo necessario est doctus.

3. Quod si tamen signa quantitatem expresse notantia omittantur, tunc unicam solummodo in modalibus agnosimus oppositionis speciem, videlicet *contradictoriam*. Hæc autem ut probe informetur, necessum est, ut ipsa negatio non fiat simpliciter per negationem copulae ipsius dicti, quod nonnunquam fieri videmus in iis, quæ Nominaliter efferuntur, quâ ratione aliàs vera in absolutis fit oppositio, sed per negationem ipsius modi, qui afficit copulam, vip. *Aristot.* libr. de Interpret. part.

4. cap.

4, cap. 14. pag. m. 27. Petr. Hiss. summ. Log. tr. 1. pag. 86. & Corn. Mart. in anal. Log. tract. prim. part. cap. 4. pag. m. 59. Modus enim in ejusmodi enunciationibus fecit Enunciationem Modalem, ideò & negatio & oppositio directè ferri debet super modum, ut iste tollatur per oppositionem, e. g.

Necesse est hominem esse doctum.

Contingens est hominem esse animal.

Possibile est hominem fieri lapidem.

Impossibile est hominem peccare.

Hiscenequaquam ita contradici debet,

Necesse est hominem non esse doctum.

Contingens est hominem non esse animal.

Possibile est hominem nō fieri lapidem.

Impossibile est hominem non peccare.

Falsa enim hæc est oppositio, sicuti ex expositione nostrâ manifestum est, quæ talis esto:

Homo necessario non est doctus.

Homo contingenter non est animal.

Homo

*Homo potest non fieri lapis.
 Homo àdiválus non peccat.
 Rectius autem ita instituitur.
 Non necesse est hominem esse doctum.
 Non contingens est hominem esse ani-
 mal.*

*Nō possibile est hominem fieri lapidem.
 Non impossibile est hominem peccare.
 Quod videre licet ex expositione, quæ
 talis esto:*

*Homo non necessario est doctus.
 Homo non contingenter est animal.
 Homo non potest fieri lapis.
 Homo non àdiválus peccat.*

*In quibus directè demum & verè tolli-
 tur id, quod antea falsò erat positum,
 & sic manifesta quoq; datur contradi-
 ctio, quoniam tunc simpliciter idem
 affirmatur & negatur.*

4. ÆQUIPOLLENTIAM quod
 spectat, damus illam inter modales vel
 ejusdem modi, vel diversorum modo-
 rum.

§. Pri-

5. Prioris generis exempla petimus ex doctrina æquipollentiæ, quæ est absolutarum, & adhibitâ expositione nostrâ usitatâ sic informari solet.

Omnis ignis est necessario calidus.

Nullus ignis non est necessario calidus.

Non quidam ignis non est necessario calidus.

It. *Nullus homo contingenter est lapis.*

Omnis homo non contingenter est lapis.

Non aliquis homo contingenter est lapis.

6. Posterioris generis æquipollentiâ quod attinet, existimamus cum Petro Hispano summ. Log. tract. 1. pag. 83. eam capi posse duplici modo:

1. Generaliter pro quâcunq; æquipollentiâ duarum propositionum in veritate & falsitate.

2. Specialiter pro æquivalentiâ propositionum utroq; termino participantium in qualitate & quantitate, veritate & falsitate.

7. Ad

7. Ad priorem referimus propositiones illas modales. in quibus *modorum* saltem *habetur ratio*, neglectis signis quantitatem subjecti denotantibus, quo pacto concedimus, unam quamlibet harum dictionum *Am Ab Im Us, E. d. Ent III, III Ac E, p Urp Ur EA*, sistere æquipollentem, ubi *A* significat *affirmationem modi S dicti*, *E negationem dicti*, *I negationem modi U negationem modi S dicti*, juxta versum.

E dictum negat, I que modum, nihil A, sed U totum.

Harum enim dictionum unaquælibet, prout facile constat, habet quatuor propositiones, quarum quævis peculiarem obtinet modum, ita ut prima propositio notet propositionem de *possibili*, secunda de *contingenti*, tertia de *impossibili*, quarta de *necesse*. Hoc tantum præsupponatur, quod *contingens proprie dictum in doctrinâ de æquipollentiâ* (quod & in nonnullis aliis præsertim

in

in consecutione intellectum volumus) non debeat attendi, cum aliàs ejus natura legibus repugnet, sed tam amplè accipi, ut convertatur cum possibili, adeoq; eidem æquipolleat, sicuti docet Petr. Hisp. summ. Log. tract. 1. pag. 83. Petr. Hurt. de Mend. vol. 1 summ. disp. 4. sect. 8. § 28. pag. 137. it. sect. 9. § 31. pag. 139. nec non Excell. Kesler. b. m. tract. Log. de Conseq. cap. 13. th. 9. 10. pag. 62. seqq. adeoq; modi omnes sub unâqvâvis dictione contenti habentur pro æquipollentibus. Harum a., uti jam indicatum, sunt quatuor, e. g.

1. A Possibile est esse.
 mA Contingens est esse.
 bI Non impossibile est esse.
 mUs Non necesse est non esse.
2. Ed Possibile est non esse.
 En Contingens est non esse.
 rU Non impossibile est non esse.
 II Non necesse est esse.
3. II Non possibile est esse.

II Non

ofiti.
orum
signis
tibus,
amli.
ls, E.
istere
affir-
onem
onem
bil A,
libet,
atuor
culia-
pro
ffibi-
le im-
ntum
s pro-
lenti-
rtim
in



II Non contingens est esse.

A In possibile est esse.

cE Necessesse est non esse.

4. pUr Non possibile est non esse.

pU Non contingens est non esse.

rE Impossibile est non esse.

A Necessesse est esse.

Ne autem terminorum horum applicatio videatur difficilis, illustrabimus brevibus, sicigitur:

1. A. Homo potest esse animal.

mA Homo contingenter est animal.

bl Homo non aduvalos est animal.

mU Homo non necessario est non animal.

2. Ed Homo potest esse non animal.

En Homo contingenter est non animal.

tU Homo non aduvalos est non animal.

II Homo non necessario est animal.

3. II Homo non potest esse animal.

II Ho.

H Homo non contingenter est animal.

A Homo aduālos est animal.

cE Homo necessario est non animal.

4. pUr Homo non potest esse non animal.

pU Homo non contingēter est non animal.

rE Homo aduālos est nō animal.

A Homo necessario est animal.

In quibus propositiones, quæ continentur in primâ dictione *Am Ab Im Us*, contradicunt iis, quæ sunt in terciâ *III- Ac E*, & quæ leguntur in secundâ dictione *Ed Ent Ull*, contradicunt iis, quæ habentur in quartâ *pUrp Ur EA*.

Et ut omnis difficultatis & obscuritatis metus hic planè removeatur duo diligenter observari velimus.

1. Modis affirmatis necesse & impossibile semper equipollere modos negantes non possibile, non contingens, & vice versa.

2. Dictum

2. Dictum enunciationis de necesse
semper contradicere dictis reliquorum
modorum. Hæc de priori!

8. Ad posteriorem referimus pro-
positiones de contingenti & possibili, ita
de necesse & Impossibili, quæ unâ ex si-
gnis unam eandemq; quantitatem
subjecti notantibus constant, quales
sunt istæ affirmantes:

Omnis homo potest esse doctus.

Omnis homo contingenter est doctus.

It. earum negantes:

Nullus homo potest esse doctus.

Nullus homo est contingenter doctus.

Itidem & hæ affirmantes:

Omnis homo necessario est animal.

Omnis homo àdivālis est non animal.

Et harum negantes:

Omnis homo non est necessario animal.

Omnis homo nō àdivālis est nō animal.

Imò & hæ affirmantes:

Omne animal est necessario non lapis.

Omne animal àdivālis est lapis.

Earun-

Earundemq; negantes:

Nullum animal est necessario non lapis.

Nullum animal aduersus est lapis, & sic in reliquis.

II. Si vero modus contingens strictè sumatur, ut distingvatur à modo possibili, æquipollentia hunc in modum institui solet.

Omnis homo est contingenter doctus.

Omnis homo potest non esse doctus.

It. earum negantes:

Nullus homo est contingenter doctus.

Nullus homo potest non esse doctus.

It. *Omnis homo est contingenter non doctus.*

Omnis homo potest esse doctus.

Earumq; negantes:

Nullus homo est contingenter non doctus.

Nullus homo potest esse doctus.

9. Porro quod ad CONVERSIONEM nequaquam hic stare possumus à parte Petr. Hisp. summ. Log. tract. I.

pag.

pag. 78. & *Mendez. volum. 1 summo*
disp. 4. sect. 12. §. 51. pag. 155., qui
 contendunt, *modalem propositionem*
non converti posse secundum se totam, sic
ut modus ponatur in subiecto, sed so-
lum converti debere quantum ad dictū,
mutando prædicatum dicti in subje-
ctum, & vice versa; sed contra statui-
mus, integrum prædicatum propostio-
nis modalis, adeoq; etiam modum cum
parte dicti, quocum modus absolvit in-
tegrum prædicatū modificatum, con-
verti debere, non obstante, quod mo-
dalis convertatur in absolutam, liqui-
dem ideò non manet modalis, non
quasi prior non fuerit talis, sed quia
modus jam non amplius exercet suum
munus, ita ut sit formalis efficiens ipsam
propositionis dispositionem, verum
materialis determinans propositionis
subiectum, cui jam apponitur; Quare
rectissime D. Hornej: Inst. Log. lib 3o
qvæst. 39. n. 5. pag. 399. propositiones

399

has:

has:
 nima
 illud
 form
 rever
 prop
 jus de
 Con
 exer
 præd
 subje
 serva
 omni
 cont
 dem
 mob
 dica
 cepu
 pula
 verb
 bet, c
 tine
 mus

has: *Quod necessario est homo, id est animal; Quod contingenter ambulat, illud est homo, absolutas esse asserit. Nec formalis hinc tollitur conversio qualis reverà hoc loco datur, licet una specie propositio non convertatur in aliam ejusdem speciei, v.g. modalis in modalem; Consistit enim ejus natura in integrâ extremorum mutatione, ita ut totum prædicatum transponatur in locum subiecti, non ejus tantum pars aliqua, servatâ qualitate & veritate, quod nos omninò facimus. Nec ulla sequitur contradictio, quasi scilicet, modus unus idemq; sic foret mobilis & immobilis, mobilis in quantum pertineat ad prædicatum & illius pars sit, immobilis ob copulam: quam afficiat; Ipsa enim copula non quidem quâ talis, tamen quâ verbum, mobilis est, adeoq; converti debet, cum ad prædicati integritatem pertineat, uti di. p. præc. probatum dedimus. Et hæc conversio in syllogismorum*

rum reductione insigni stipata est usu, quem dispp. seqq exhibebunt. Quæ tamen reductio non ex falsâ hypothesis assumitur, nec cum errore conjuncta est, sed ex rei veritate, uti hæcenus luculenter evictum, petita. Nec difficultas aliqua inde metuenda est, quasi scilicet una vel altera propositionum hoc pacto non possit converti, adhibeatur modò usitata nostra expositio, & sine ullo labore institui poterit tum conversio Simplex, etiam in particularibus affirmantibus de necessario, e. g.

Quidam Medicus necessario est homo. E.

Quidam qui necessario homo est, est medicus.

Imo etiam in iis, qui sunt de possibili & contingenti, e. g.

Quidam homo contingenter est doctus. E.

Quidam qui contingenter est doctus est homo.

tum conversio per Accidens, licet etiam sit universalis affirmativa de necessario, e. g.

O. de.

O. doctum necessario est rationale. E.
Quoddam necessario rationale est do-
ctum.

tum conversio per Contrapositionem e.g.

O. animal necessario est substantia. E.

O. quod non est necessario substantia,
non est animal.

Ubi profectò unicuiq; & converse &
convertenti sua stat veritas, modò pro
ratione rei substratæ modus de neces-
sario non semper de necessario simpli-
citer & absolutè, sed de necessario ex
hypothesi sive quando intelligatur.

10. CONSECUTIONEM deniq;
in modalibus etiam dari, dubium non
est. Illam autem itidem geminam faci-
mus, unam ex iisdem, alteram ex diver-
sis modis.

11. Priorem dicimus esse illam, quã-
do vel ex finita affirmante, v. g.

Homo est necessario animal,
infertur negans infinita,

Homo non est non-necessario animal.

Vel

Vel ex finita hac negante.

Homo non est necessario doctus,
infertur infinita affirmans.

Homo est non-necessario doctus.

Vel ex infinita affirmante.

Homo est non necessario doctus.
concluditur finita negans.

Homo non est necessario doctus.

Vel ex infinita negante.

Homo non est non-necessario animal,
colligitur finita affirmans.

Homo est necessario animal.

In reliquis consecutio facile institui potest. Hoc saltem notato, consecutionem ex infinita affirmante ad finitam negantem in modo possibili non valere, e. g. Adam potest non peccare, hanc non sequitur isthac, Adam non potest peccare, prior enim vera est, posteriore falsa existente.

12. Posteriores autem petimus ex dictionibus equipollentium, quia ratione una propositio unius ejusdemque dictionis

ditionis diversorum modorum sequitur alteram, v. g. in dictione *Am AbI-mls* hanc, *Homo potest esse animal*, consequuntur alii modi, qui in eadem continentur, sicuti ex æquipollentiâ earum hæc satis evidenter innotescunt.

Ne tamen & hic aliquid difficultatis remanere videatur, quatuor formamus canones, juxta quos consecutio institui potest: Sit igitur

1. Possibilem & Contingentem utrobique affirmatam sequitur impossibilis modi tantum negati, & necessaria utrobique negata.

2. Possibilem & contingentem dicti tantum negati sequitur impossibilis utrobique negata, & necessaria modi tantum negati.

3. Possibilem & contingentem modi tantum negati sequitur impossibilis utrobique affirmata, & necessaria dicti tantum negati.

4. Possibilem & contingentem utrobique

big

DISPUTATIO III.

Respondente.

SAMUELE CHRÖDERO

Banoâ Pomerano.

hab. 24. Jul.

Absolvimus hactenus Deo juvante
Enunciationes modales, quò ve-
rò utilitas eorum, quæ circa eas à nobis
fuernnt monita, magis appareat, nunc
porrò naturam *sylogismorum Modala-*
lium examinandam ut progrediamur,
ordo requirit. Ne tamen & hic extra
methodum vagari & versari videamur,
majoris evidentiae gratiâ initiò sylla-
gismi modalis *in genere* videbimus *de-*
initionem, deinde ejusdem *divisionem*,
tertiò *certas notas* circa legitimam ar-
gumentandi formam observandas in-
culcabitur, & deniq; *regulas ipsius A-*
ristotelis ex Interpretibus ejusd. for-
matas examinabimus. Faxit infinita
Sapientia, ut & hunc laborem sine er-
rore proponamus, & ad exoptatum
finem fructuosè perducamus! **I.**

I. Definitionem in genere quod spectat, sic ea talis: *Syllogismus modalis est, qui constat ex enunciationibus modalibus legitime dispositis.*

Cur appellemus syllogismum hunc *modalem*, non opus est divinatione, si quidem unicuique notum est, quod hac denominatione contradistingvamus eund. *absoluto*, qui talis esse dicitur, quod ex propositionibus constat absolutis, h. e. ex talibus propositionibus, quæ planè nullum superadditum habent modum formaliter sumtum, adeoq; proin *modalis* dicitur, quia gaudet enunciationibus modalibus *verè* sic dictis, h. e. non compositis, sicuti disp. 1. th. 10. monuimus, sed *divisis*, in quibus modus reverà ad integritatem prædicati modificati pertinet, ita ut non sit totum prædicatum, seu integer enunciationis modalis terminus, nisi modus addatur parti ipsius dicti, quemadmodum & hoc ex th. 9. disp. 1. abundè con-

con
dim
legit
non
onem
verso
tur;
fusio
mod
ti,
prio
ejusc
quit
ineft
sunt
alia
omn
Perf
iis fir
mag
alia
solu
nus

constare arbitramur. Notanter a. addimus, ex enunciationibus modalibus legitime dispositis; etenim hac ratione non solum modo removeraus confusionem terminorum modificantium diversos modos habentium, ne illi varientur; verum etiam evitare discimus confusionem terminorum absolutorum & modificantium, qui prorsus sunt distincti, uti egregie monet *Aristot.* lib. 1. prior. Analyt. cap. 8. pag. m. 35. quod ejusd. verbis declarare lubet: *Quia inquit, diversa sunt haec, inest, necessario inest, accidit inesse: Per multa enim insunt illa quidem, non tamen necessario: alia nec necessario insunt, nec re ipsa omnino insunt, inesse tamen possunt. Perspicuum est inde ratiocinationes ex iis singulis confectas, diversas esse, extremaque in iis non eod. modo se habere: sed alias ex necessariis constare, alias ex absolutis, alias ex contingentibus. Hactenus Philosophus*

D

Exem-

Exempla syllogismorum modalium
 suppeditamus sequentia:

Necesse est, omne animal sentire.

Omnis homo est animal.

E. Necesse est omnem hominem sentire.

Quem legitimum esse videre licet ex
 expositione nobis usitatâ, v. g.

Omne animal necessario sentit.

Omnis homo est animal.

E. Omnis homo necessario sentit.

It. Contingit hominem esse piûm.

David est homo.

E. Contingit Davidem esse piûm.

Qui ita exponendus:

Homo contingenter est piûs.

David est homo.

E. David contingenter est piûs.

It. Possibile est hominem peccare.

Petrus est homo.

E. Possibile est Petrum peccare.

Quem hunc in modum exponimus:

Homo potest peccare.

Petrus est homo.

E. Petrus

E. Petrus potest peccare.

It. Impossibile est electos seduci.

Paulus est electus.

E. impossibile est Paulum seduci.

Cujus expositio ita instituenda:

Electi non possunt seduci.

Paulus est electus.

E. Paulus non potest seduci.

2. Divisionem quod concernit, est syllogismus modalis vel purus vel mixtus.

Purus modalis est, qui constat ex enunciationibus puris modalibus ejusdem modi.

Dicitur purus, non eam duntaxat ob causam, quod singulas enunciationes habeat modales, siquidem & hoc fieri potest in mixto, uti mox videbimus; sed deò potius, quia omnes enunciationes hujusmodi syllogismi uno eodémq; afficiuntur modo, e. g.

Quic. necessariò est rationalis, is necessariò est risibilis.

D 2

Omnis

um

ntire

et ex

us

us

us



Omnis homo necessario est rationalis.

E. Omnis homo necessario est risibilis.

It. Quidc. necessario est animal, necessario sentit.

Lapis non necessario sentit.

E. Lapis non necessario est animal.

It. Quidc. contingenter est Philosophus, is contingenter est doctus.

Quidam homo contingenter est Philosophus.

E. Quidam homo contingenter est doctus.

It. Omne contingenter doctum contingenter est Philosophus.

Omne contingenter doctum contingenter est Theologus.

E. Quidam qui contingenter est Theologus, contingenter est Philosophus.

Mixtus modalis est, qui constat vel ex modalibus & absolutis, vel ex meris modalibus sed diversorum modorum.

Mixtus salutatur, quia in hoc mixta dan.

dantur enunciationes, h. e. tales, quæ non sunt omnes & singulæ modales, & quidem ejusd. modi, sed datur mixtio vel enunciationum modalium & absolutarum, vel modalium & modalium, ita ut non eosd. habeant modos, sed plane diversos. Horum exempla sunt sequentia:

Omnis homo necessario est docilis.

Plato est homo.

E. Plato necessario est docilis.

It. Possibile est Germanos esse doctos.

Saxones sunt Germani.

E. Possibile est Saxones esse doctos.

Beuclarius juxta expositionem nostram

Germani possunt esse docti.

Saxones sunt Germani.

E. Saxones possunt esse docti.

It. Omne contingenter doctum, necessario est homo.

Petrus est contingenter doctus.

E. Petrus necessario est homo.

It. Quodc. necessario est equus, non potest latrare.

Buca.

Bucephalus necessario est equus.

E. Bucephalus non potest latrare.

3. Notas quod attinet, quæ sedulo in bonâ & legitimâ syllogismorum modalium formali consequentiâ observandæ sunt, eas nunc breviter & in quantum possumus, perspicuè adjiciemus, hoc tamen ordine, ut generales præmissas excipiant notæ speciales.

4. Generales & quidem I. Sicuti terminus semel est positus in unâ propositione, ita repeti debet in alterâ.

Quæ nota omnium universalissima imprimis attendenda, ne in syllogismis modalibus vel termini absoluti cum modificatis, vel modificati homogenei cum heterogeneis confundantur: Eosdem enim oportet repeti, vel absolutos, si in priori fuerint absoluti, vel modificatos, si prius tales extiterint, & quidem modificatos non quoslibet

libet.
diver
talis
rium
noru
catur
careg
eade
si qu
ablo
gism
igitu
tylic
vitic
quin
clar
Im
N
E.
Qv
D
D
E.
Ex

libet, sed unius ejusdemq; modi, non
diversorum, ne varientur termini, sicq;
talis syllogismus incurrat vitium plu-
rium, quàm aliàs fas est & decet, termi-
norum: Hac enim ratione æquè pec-
catur in hujusmodi syllogismis, ac in
categoricis absolutis, quia *concludendi*
eadem utrobique est ratio, ita quidem, ut
si quis in regulam quandam syllogismi
absoluti impingat, statim etiam syllo-
gismi modalis violet formam. Peccat
igitur contra hanc notam subsequens
syllogismus, ita ut non solummodo
vitio laboret quatuor verùm potius
quing; terminorum, uti ex expositione
clarum evadit, e. g.

Impossibile est damnatos salvari.

Necesse est Diabolos esse damnatos.

E. Necesse est Diabolos salvari.

Quia exponendus.

Damnati non possunt salvari.

Diaboli necessario sunt damnati.

E. Diaboli necessario salvantur.

Ex quâ resolutione manifestò constat,

& terminos absolutos confundi in hoc syllogismo cum modalibus, alius enim est terminus *damnati*, alius *necessario sunt damnati*; & modos homogeneos mutari cum heterogeneis, alius enim est *non possunt salvari*, & alius *necessario salvantur*, quibus demum quintus additur terminus scil. *Diaboli*.

Sin verò ita collocentur termini,

Damnati non possunt salvari.

Diaboli sunt damnati.

E. Diaboli non possunt salvari.

tunc vi notæ hujus legitimum cum esse censemus; sic quoque formatus, conclusio partem sequitur debiliorem.

Idem de sequenti ferendum est iudicium.

Omnis homo est animal.

Impossibile est leonem esse hominem.

E. Impossibile est leonem esse animal.

qui itidem quing. incedit pedibus, uti resolutio docet, quæ talis:

Omnis homo est animal.

Leo

Leo non potest esse homo.

E. Leo non potest esse animal.

Ut ut enim non urgeatur, *minorem esse negantē* in primā figurā, limites tamē notæ hujus nostræ transgreditur, quia bis termini absoluti cōfunduntur cum modificatis, alius enim est terminus *Homo*, alius *non potest esse homo*, alius *animal*, alius *non potest esse animal*, & denique quintus terminus est *Leo*.

Hunc autem in modum formatum juxta notam hanc generalem pro legitimo formaliter sumto eund. vendicamus:

Omnis homo est animal.

Leo est homo.

E. Leo est animal.

Vel si modus termini mediū urgeatur:

Quodc. non potest esse homo, non est animal.

Leo non potest esse homo.

E. Leo non est animal.

Quando ita proferuntur, tunc nil quidē

D 5

denn

Leo

dem desideramus *in formà*, verùm in materiâ propositio minor *prioris* est falsissima; si a. ponatur vera, quæ est negans, *Leo non est homo*, tunc utiqve violatur forma. *Posterioris* autem major fallit propositio, hinc etiam falsissimam infert conclusionem, digna quippe tali parente soboles.

II. Major terminus ita in conclusione est inferendus, prout positus fuit in præmissis.

Fluit hæc nota ejusdemq; declaratio ex naturâ prioris modò expositæ, & valet *in singulis* figuris, uti suo loco ostendemus. Legitimæ igitur sunt horum sequelæ.

Omnis homo *necessariò est animal.*

Civis Wittebergensis est homo.

E. Civis Wittebergensis *necessariò est animal.*

It Omnis homo *necessariò est animal.*

Lapis non *necessariò est animal.*

E. Lapis non est homo.

It.

It. Omnis homo *necessariò est animal.*
Omnis homo *necessariò est rationalis.*

E. Quoddam quod *necessariò est rationale, necessariò est animal.*

It. Omnis homo *contingenter ridet.*
Samuel est homo.

E. Samuel *contingenter ridet.*

It. Omnis homo *contingenter ridet.*
Bucephalus non *contingenter ridet.*
E. Bucephalus non est homo.

It. Omnis homo *contingenter ridet.*
Omnis homo est animal.
E. Quoddam animal *contingenter ridet.*

III. Minor propositio non potest formaliter modificari, majore existente sine modo.

Quod ad hanc notam, nos salvis aliorum judiciis existimamus, eandem ita simpliciter proponendam non esse, in singulis namq; figuris singularem ferè videtur mereri considerationem: Quando enim syllogismos prima figuræ

examinamus, statim apparet, eandem absolute non esse proferendam; si enim loquatur de modo propositionis majoris *formaliter* sumpto, tunc utique potest hic adesse, ita tamen, ut ob illum propositio minor non continuo sit modificata, sed maneat absoluta; Sin v. major explicetur de modo *materi- liter* accepto, quæ pars est subjecti, tum vera est nota. Utrumque patet ex hisce exemplis:

Omne animal *necessario* sentit.

Brutum est animal

E. Brutum *necessario* sentit.

Quamvis major sit modificata in hoc exemplo & quidem *formaliter*, minor tamen non debet modificari, sed potius absolute poni, sicuti videre licet.

It. Quodc. *necessario* est animal, sentit.

Brutum *necessario* est animal.

E. Bruta sentit.

In hoc minor propositio bene potest imò & debet *formaliter* modificari, quia

quia major continet modum ex parte
subjecti adeoque materialem, qui jam
rectè loco prædicati minoris repetitur,
& ob hunc ordinem & situm formalis
salutatur.

Si verò major destituta est omni modo,
ita ut etiam subjecto non sit additus,
tum minor propositio non potest for-
maliter modificari. Nihilominus tamen mi-
nus materialis modus, qui pars est sub-
jecti, illi citra violationem formæ syl-
logisticæ potest addi, quod clarum est
ex hoc exemplo:

Omne ambulans est animal.

Quoddam quod contingenter sedet,
est ambulans.

E. Quoddam contingenter sedens est
animal.

In secundâ figurâ nota hæc simpliciter
procedit, si major explicetur tantum
de modo formaliter sumto, & non de
materiali. Etsi enim hic adest, nil ta-
men prodest minori, quæ, licet etiam

mate-

materialem habeat modum, manet tamen absoluta, majore existente sine modo formali, E. G.

Nullus lapis est animal.

Omne contingēter sedens est animal.

E. Nullum contingenter sedens est lapis.

It. Quodc. contingēter hinnit, est equus.

Homo non est equus.

E. Homo non contingenter hinnit.

Utrobique minor est absoluta, quia major neutrobique continet modum formalem.

In tertiâ figurâ minimè nobis quidem valere videtur, quod evincere conamur his exemplis :

Omnis ignis est levis.

Omnis ignis necessariò est calidus.

E. Quoddam necessariò calidum est leve.

It. Omne ambulans est animal.

Omne ambulans contingenter est sedens.

E. Quoddam contingenter sedens est animal.

Hi

Hi syllogismi legitimâ gaudent forma-
li consecutione, ita ut nil desiderari in
iis possit vel debeat, quasi incurrant vi-
tium quatuor vel plurium termino-
rum, sed sunt & manent legitimi, licet
major modò destituta minorem habe-
at cû modo & quidê *formaliter* sumto.

IV. Modus, quo medius ter-
minus est modificatus, non po-
test reddere conclusionem mo-
dificatam.

Ratio hujus notæ petitur ex regulâ
communi syllogismorum, absoluto-
rum, quâ prohibetur, *ne medium vel ex
toto vel ex parte conclusionem ingredia-
tur*. Observanda hæc nota *in omnibus
figuris*, uti infra circa speciales notas
pluribus monstrabimus. Hac vice suf-
ficient ea, quæ sequuntur, exempla.

Quodc. *necessariò* est animal, sentit.

Homo *necessariò* est animal.

E. Homo sentit.

It, quod.

It. Quodcunq; sentit, *necessario* est animal.

Lapis non *necessario* est animal.

E. Lapis non sentit.

It. Quodc. *necessario* est animal, sentit.

Quodc. *necessario* est animal, vivit.

E. Quoddam vivens sentit.

Intelligenda a. hæc sunt de modo, *in quantum reverà pars est mediij*; aliàs uni eidemq; modo non repugnat reddere conclusionem modificatam, verùm non in quantum est pars mediij, sed quatenus est pars alterius extremi, & quidem vel *majoris*, e. g.

Quodc. *necessario* est animal, *necessario* sentit.

Homo *necessario* est animal.

E. Homo *necessario* sentit.

It. Quodc. *necessario* est animal, *necessario* sentit.

Lapis non *necessario* sentit.

E. Lapis non *necessario* est animal.

It. Quodc. *necessario* est animal, *necessario* sentit. Quode.

Quodc. necessariò est animal, neces-
sariò vivit.

E. Quoddam quod necessariò vivit,
necessariò sentit.

Vel *minoris* extremi, ubi tamen con-
clusio modum formalem non admit-
tit, sed tantum *materiale*, cujus e-
xemplum unicum brevitatis ergò sit
instar omnium:

Omne necessariò grave descendit.

Quoddam quod *necessariò* est terra,
necessariò est grave.

E. Quoddam quod *necessariò* est ter-
ra descendit.

In hisce omnibus, quamvis idè habe-
tur modus in conclusione, qui datur
penes medium, omnes tamen ob di-
ctam rationem *formali* gaudent boni-
tate. Hactenus de generalibus, sequun-
tur

§. Speciales, & quidem quoad *pri-
mam* figuram hæ sunt:

I. Si

I. Si prædicatum majoris est modificatum, prædicatum quoque conclusionis modificatum, sit necesse est.

Nota hæc fuit ex generali secundâ, & valet in omnibus modis syllogismorum modalium directe concludentium, quocumque, etiam modo major afficiatur, ita ut nihil intersit, licet major constet modo de necessario, & minor de contingenti, nihilo tamen minus tale sequatur prædicatum eodem & non alio modo affectum, quale fuit majoris. e. g.

Quic contingenter est doctus, ~~is~~ necessario est homo.

Plato contingenter est doctus.

E. Plato necessario est homo.

Præterea nil obstat, quamvis sola major modo afficiatur, nec una ipsa minor, hoc saltem observetur, ne sensus compositus confundatur cum sentu diviso, & contra, sed ut ead. ratione acci-

piatur in conclusione, quâ sumebatur
in præmissis, e. g.

Qvic. est Philosophus, is *necessariò* est
doctus.

Qvidam homo est Philosophus.

E. Qvidā homo *necessariò* est doctus.

Conclusione probè perceptâ & rectè
intellectâ nil falsi in se continet, sed ve-
ra ex præmissis sequitur cōclusio; vera
enim est major *in sensu composito*, cujus
sensus facilè cognoscitur ex hac redu-
plicatione:

Qvic. est Philosophus, is *quâ* est Phi-
losophus *necessariò* est doctus.

Jam subsumatur

Qvidam homo est Philosophus.

Ex his præmissis tandem verissima
hæc sequitur conclusio.

E. Qvidam homo, *quâ* est Philoso-
phus *necessariò* est doctus.

Sit aliud exemplum:

Qvic. sedet, *contingenter* sedet.

Qvidam stans sedet.

E. Qvidā stans *cōtingēter* sedet. *quæ*

Quæ conclusio, licet in sensu *composito* falsa sit, in quantum tamen major explicanda venit in sensu *diviso*, ita ut terminus ille *contingenter* sedet absq; ullâ determinatione *formale* *subjecti* respiciente accipiatur, utiq; *vera* sequitur conclusio, ut is, qui prius stetit, alio & *diverso* tempore, quo non stat, sedeat & quidem contingenter.

II. Si prædicatum minoris est modificatum, modificatum quoq; sit subjectum majoris.

Exemplum hujus notæ suppeditavimus notâ proximè præcedenti ab initio. in quo vidimus, modum *contingenter* minoris propositionis petitum esse à modo subjecti majoris. Hoc tamen rursus inculcandum est, *ne heterogeneus substituatur modus*, sed ut idem, qui antea, pars erat subjecti propositionis majoris, repetatur, & loco prædicati minoris collocetur: Interim

rim
hau
huj
Q
O
E
I
mo
tu
N
mæ
est,
ben
luc
exe
dilu
O
O
E

rim. majoris lucis gratiâ molestum
haud erit, aliud exemplum veritatem
hujus notæ confirmans subjieere, v. g.

Quicumq; *necessariò* est animal, non
est lapis.

Omnis homo *necessariò* est animal.

E. Nullus homo est lapis.

III. Si subjectum minoris est
modificatum, itidem sit subje-
ctum conclusionis.

Nota hæc ex expositione notæ pri-
mæ generalis satis superq; manifesta
est, ne igitur crambe bis coctâ lectori
benevolo nauseam creemus, eund. il-
luc remittimus, jam contenti unico
exemplo, quo bonitatem hujus notæ
dilucidemus, sit itaq; tale:

Omnis Philosophus est homo.

Quoddam *contingenter* doctum est
Philosophus.

E. Quoddam *contingenter* doctum
est homo.

6. Circa

6. Circa *secundam* figuram sequentes possunt & debent observari notæ.

I. Si subjectum majoris est modificatum, prædicatum conclusionis modificatum sit oportet.

Hæc nota fluit ex generali secundâ, est q; illius eadem ratio, quæ proximè præcedentis, saltem in hoc differunt, quod in præcedenti modus, de quo egimus, semper pars erat subjecti, & sic respectu utriusq; *materialis*; in hoc a loco propositionis *majoris*, cum iidem afficiat subjectum, sit *materialis*, in *conclusionem* tamen, cum jam respiciat ipsum prædicatum, quod unitur cum subjecto, est unâ pars *formalis*. Ubi rursus & hoc non piget monere, ut *idem* planè & non diversus in conclusionem ad evitandam terminorum varietatem inferatur *modus*. Hisce observatis, legitima est hæc argumētatio:

Quæ:

Quicquid *necessariò* est homo, est animal.

Lapis non est animal.

E. Lapis non *necessariò* est homo.

Quæ manifesta est ex reductione ad Celarent.

Quicquid est animal, non est lapis.

Quicquid *necessariò* est homo, est animal.

E. Quicquid *necessariò* est homo, non est lapis.

It. Quicquid *contingenter* est doctum, illud non est brutum.

Bucephalus est brutum.

E. Bucephalus *contingenter* non est doctus.

Et hunc quoad formam optimæ esse monetæ, vicissim constat ex reductione ad Celarent.

Quicquid est brutum, illud non est *contingenter* doctum.

Bucephalus est brutum.

E. Bucephalus non *contingenter* est doctus.

MSi

II. Si medium solummodo est modificatum, conclusio inferatur absoluta.

Origo hujus notæ est generalis quarta, circa cujus enodationem dedimus rationem, cur neutiqvam fieri possit, ut conclusio unà sit modificata. Exemplum tale esto:

Nullus homo *necessariò* est brutum.

Aliquod animal *necessariò* est brutum.

E. Aliquod animal non est homo.

Qui cum sit in Festino, reducatur ad Ferio, & bonitas ejus apparebit:

Quicquid *necessariò* est brutum, non est homo.

Aliquod animal *necessariò* est brutum.

E. Aliquod animal non est homo.

It. Omnis homo *contingenter* est doctus.

Aliquod animal non *contingenter* est doctum.

E. Aliquod animal non est homo.

Hic

Hic s
ducat
ris no
cap. 7
versâ
positi
tionis
v. g.

Qvo

Alio

E. A

Recti

rever

mans

n. ho

ticula

dii, a

ob re

majo

II

figu

Hic syllogismus, cum sit in Baroco, re-
ducatur monitu Beatissimi Præcepto-
ris nostri Jac. Mart. Inst. Log. lib. 4.
cap. 7, pag. 381. *ostensivè* ad Ferio, con-
versâ propositione majore per contra-
positionem, & formalis argumenta-
tionis bonitas statim erit manifesta,
v. g.

Quodc. non *contingenter* est doctum,
non est homo.

Aliquod animal non *contingenter* est
doctum.

E. Aliquod animal non est homo.

Rectissimè sese habet ita formatus, &
revera est in Ferio, ita ut minor sit affir-
mans, etsi in priore erat negans; svadet
n. hoc syllogismi dispositio, cum par-
ticula negativa hîc sit pars termini me-
dii, adeoq; negatio minoris impeditur
ob terminum infinitum, qui erat in
majore, uti constat ex libellis Logicis.

III. Hîc nota specialis tertia primæ
figuræ locum etiam invenit, quæ vult

E

ut

ut si subjectum minoris sit modificatum, subjectum conclusionis quoque modificetur.

Unicum brevitatis causâ addimus exemplum:

Nulla bestia est homo.

Quoddam contingenter currens est homo.

E. Quoddam contingenter currens non est bestia.

Hic cum in festino, reducendus est ad Ferio h. m:

Nullus homo est bestia.

Quoddam contingenter currens est homo.

E. Quoddam contingenter currens non est bestia.

Ubi tamen dissimulandum non est, ejusmodi syllogismos, in quibus sola datur modificatio subjecti adeoque materialis, non unâ formalis, propriè non posse dici modales, referimus tamen
huc,

huc, in quantum nostrum propositum est ostendere, modos non esse removendos à suo termino; imò propterea etiam admittimus tales syllogismos, in quantum horum propositiones apte natae sunt, ut vi conversionis facile verè possint in modales verè & formaliter dictas.

7. Penes tertiam figuram sequentes observari possunt notæ.

L. Si prædicatum propositionis majoris est modificatum, necesse est, modificetur prædicatum conclusionis.

Nota hæc itidem continetur in universalis secundâ, & procedit in omnibus modis tertiæ figuræ, ita ut ab eâ excipi hinc possit *Bocardo*, quod maius est unum est ex reductione ejusd. ostensiva ad primam figuram, & quidem in specie ad modum *Darij*, transpositâ scilicet minore in locum majoris, & conversis majore

ac conclusionem per contrapositionem,
sicuti de reductione hujusmodi præ-
clare docet laudatus noster Jac. Mar-
tini b m l c. Probamus hoc exemplo:

Quoddam animal non est *necessario*
homo.

Omne animal est substantia.

E. Quædam substantia non est *neces-*
sario homo.

Qui ita reducendus est:

Omne animal est substantia.

Quoddam quod non *necessario* est
homo, est animal.

E. Quoddam quod non *necessario* est
homo, est substantia.

Sit aliud exemplum:

Quoddam album non *contingenter*
est animal,

Omne album est coloratum.

E. Quoddam coloratum non *conting-*
enter est animal.

Reducitur ita:

Omne album est coloratum.

quod

Quoddam quod non contingenter est animal est album.

E. Quoddam quod non contingenter est animal, est coloratum.

II. Si prædicatum minoris est modificatum, modificatum quoque esse oportet subjectum conclusionis.

Et hanc notam fide dignissimam esse, probamus exemplis, aditâ simul eorundem reductione ad primam figuram, v. g.

Omnis homo est animal.

Omnis homo necessario est rationalis.

E. Quoddam quod necessario est rationale, est animal.

Qui syllogismus cum sit in modo Darapti, ad Darii rectè reducitur hunc in modum.

Omnis homo est animal.

Quoddam quod necessario est rationale est homo. E.

em,
ræ-
ar-
lo:
ario
ces-
est
est
enter
ntin-
quod



E. Quoddam quod *necessariò* est ratio-
nale, est animal.

It. Nullus equus est risibilis,
Omnis equus *contingenter* hinnit.

E. Quoddam quod *contingenter* hin-
nit, non est risibile.

Hic quia in Felapton, reducendus est
ad Ferio, h. m.

Nullus equus est risibilis.

Quoddam *contingenter* hinniens est
equus.

E. Quoddam *contingenter* hinniens
non est risibilis.

III. Si subjectum majoris est
modificatum, modificatum iti-
dem sit subjectum minoris.

Quod huic notæ fides quoq; sit adhi-
benda, probatum dabimus rursus per
aliquot syllogismos annexa eorundem
reductione. v. g.

Quoddam quod *necessariò* est animal,
est virtuosum.

Quod

Quodcumq; *necessario* est animal, vivit.

E. Quoddam vivens est virtuosum:
Hic ex modo *Disamis* reducitur ad modum *Darii* ita,

Quodc. *necessario* est animal, vivit.

Quoddam virtuosum *necessario* est animal.

E. Quoddam virtuosum vivit.

Sit aliud exemplum ex modo *Datisi* petitum.

Omne *contingenter* virtuosum est homo.

Quoddam *contingenter* virtuosum est animal.

E. quoddam animal est homo.

Reducitur ad *Darii* h. m.

Omne *contingenter* virtuosum est homo.

Quoddam animal est *contingenter* virtuosum.

E. quoddam animal est homo.

Et h. l. sicco *prætereundum* pede

non est, ejusmodi syllogismos tertiæ figuræ, alius nisi alteri extremorum addatur modus, *modum formalem non habere actu sed saltem virtute*, in quantum *reduci* possunt ad primam figuram, & tum demum exercetur modus, uti ex exemplis abundè constat.

8. Sic fuerunt notæ, quas è nobilissimorum Philosophorum scriptis breviter collectas ad naturam syllogismorum modalium illustrandam applicare placuit. Qui volunt, possunt hac de re legere Beatissimum Præceptorem *Keslerum* tract. Log. de Conseq. cap. 31. th. 4. p. 131. seq. *Plur. Rev. & Excell. Dn. D. Scharfium* non minus Præceptorem ac Promotorem omni filiali cultu prosequendum Inst. Log. lib. 3. cap. 10. pag. 517. seqq. Ejusd. *Man. Log. lib. 3. cap. 5. pag. 179. seqq.* *Dn. D. Dannhaw.* Id Bon. Disp. lect. 2. art. 13. th. 85. & 86. pag. 306. seqq. nec non *Epit. Dial. part. 1. cap. 9. pag. 137. seqq.*
Dn.

Dn. Gutk. Log. div. cap. 6. membr. 5.
th. 7. pag. 415. seqq. & tandem Nibuf.
disp. Log. 7. de syll. modal. *Regulas ve-*
ro ex Interpretibus Aristotelis de prom-
tas, quas examinaturos nos sub initi-
am promiseramus, sequens, ne thesi-
um harum excrescat numerus,
cum DEO habenda proponet
disputatio. Hac vice de-
bentur **DEO**
GRATIÆ.





DISPUTATIO IV.

Respondente

M. GOTHERIDO KECHLERO

Salfelda Thur.

hab 5. Octob.

Cum *veritatis* eam habeamus
rationem, ut nihil nobis tam
sit sanctum, quod ei præpo-
namus, (ut verba CL. Dn.
Corn. Mart. comm. Log. adv. Ram.
lib. 3. cap. 13. pag 331. in ead. re, sed
cum aliquali mutatione nostra facia-
mus) ea a. modalium *ex mente Aristo-*
telis tradita doctrina ab omni parte
neutiquam nobis probetur, æquum es-
se ducimus, brevibus sententiam no-
stram aperire, quia præced. dispp. ad-
didimus causas, uti nos quidem existi-
mamus, satis sufficientes, quare hîc à
Præceptoris doctrinâ discedere cogamur.
Nihil a. *delibare* summi viri *Ari-*
sto.

Stoicis vel aliorum Doctissimorum Interpretum auctoritati nobis decretum est, modò nobis ab Aristotele hìc dissentientibus etiam non affingatur Philosophia nova, uti clamitant, in nescio quorum novorum hominum, cerebro prognata: Nova enim illa à sanè sentientibus censetur, quæ à veritate est aliena; Falsitatis v. quamdiu non est convicta Philosophia, quam Præceptores nostri honoratissimi ad invidiam usq; accurati non sine laude proponunt, quos præeuntes & nos meritò sequimur, tamdiu constanter & intrepidè asserimus, eam esse antiquissimam, atq; adeò verissimam: Philosophia n. ut graviter Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromat. dicit, non est Stoica, aut Platonica, aut Epicurea, aut Aristotelica, sed quæcumq; ab his sectis rectè dicta sunt, hoc totum selectum dicendum est Philosophia.

Anteqvam a. ad ipsum *regularum* examen descendamus, præmittenda brevibus quædam esse ducimus. Quorum primum est, nos citando Autores circa regulas Aristotelis non id intendere, quasi omnes isti has comprobaverint, sed hoc tantum volumus, Autores illos in hoc convenire, hanc vel istam collectionem esse Aristotelis genuinam. Deinde, propositum nostrum non esse, omnes & singulas, quæ ex Aristotele elici possunt, examinare regulas, sed quasdam saltem & quidem maximè præcipuas; ea propter etiam sicco præterimus pede illas, quas ipsi Interpretes nonnunquam, dum Aristotelis volunt improbare consequentias, substituere solent, harum n. natura haud difficulter cognosci potest ex iis, quæ disp. 3. à nobis fuere dicta. Tertiò, sermonem nobis esse non de materiali consequentiâ, hac enim multas veri aliquid posse concludere, nos

non

non negamus, sicuti ex exemplis Interpretum, qui hac in parte Aristotelem defendere satagunt, videre licet; sed de *formali*, quâ ex veris legitimè dispositis semper verum concluditur. Quarto omnes hujusmodi syllogismos ad dictum de *Omni & Nullo* redigi quoque oportere, quò neglectò, à bonitate debitâ recedunt. Denique nec hoc dissimulandum, nos pro libertate ordinis paulisper ab Aristotele discessum fecisse, cujus *συναγωγία* etiam tabulâ quâdam memoriæ iuvandæ gratiâ sub finem repræsentabimus.

Præmissis hisce præmittendis, jam, ut stemus promissis, doctrinam Aristotelis de modalibus syllogismis, quam aliàs operosè nimis & intricatè i. prior. anal. à c. 8. usq; ad 22. inculcat, brevissimis delineabimus regulis. Sit igitur Bono cum Deo.

I, Ex puris necessariis in omni
figu.

figurâ sequitur conclusio necessaria.

Arist. Anal. prior. lib. 1. cap. 8. pag. 35. seq. Jac. Mart. Inst. Log. lib. 4. cap. 8. pag. 399. seq. Corn. Mart. com. Log. adv. Ram. lib. 3. cap. 12. pag. 323. Heinr. Höpffn. com. in libr. 1. prior. Anal. c. 8. pag. 175. seq. Kesl. tract. Log. de Conf. cap. 31. tb. 7. pag. 134. Inst. Log. l. 2. sect. 2. cap. 5. can. 1. Dannhaw. Id. Bon. Disp. sect. 2. art. 12. § 80. pag. 294. Horn. Inst. Log. l. 4. quest. 11. p. 461. seq. Comp. Dial. auct. l. 3. c. 10. p. 141. Werenb. fasc. 1. exerc. Log. Antiram. 10. cap. 8. tb. 2. pag. 1343.

Regulam hanc ab Aristotele ejusdemq; Interpretibus sic propositam, eoq; quo communiter solent, sensu intellectam, nos in disputationis hujus limine approbare haud possumus, cum in singulis figuris terminorum absolutorum, & modalium, oriatur confusio,
quam

quam mediante nostrâ expositione, quâ
imposterum, nisi peculiaris ratio aliud
suadebit, brevitatis studio utemur, de-
clarare placet.

Ut in primâ figura.

Omne animal necessariò sentit.

Omnis homo necessariò est animal.

E. Omnis homo necessariò sentit.

Quilibet sanè deprehendit, vitio quatuor terminorum hunc & ejusd. generis syllogismos laborare: Fit enim additio respectu medij termini, qui in majore est absolutus animal, in minore v. modificatus necessariò est animal, adeoq; peccat cõtr. disp. 3. not. gen. 1. & spec. 2. fig. 1.

Ex dictis hisce manifestum erit, quidnam de formâ syllogismi sequentis sit judicandum, quem ex occasione adjunctum voluimus.

Ne cesse est, ut fidem vivam habeas, habere bona opera.

Ne cesse est, ut salutem adipiscaris, habere fidem vivam.

E. Ne.

*E. Necessè est, ut salutem adipiscaris,
habere bona opera.*

De materia Syllogismi hujus non est quod modo curiosè agamus, discussa enim alibi ea satis est, nec non majoris falsitas à Theologis libris Ecclesie Lutheranæ Symbolicis sincerè & ex animo addictis hæctenus satis evidenter & solidè demonstrata. Formam v. examinaturi, duo necessaria præmonenda esse censemus. Primum est, nos Dn. D. Horneji Philosophi & Theologi ante hoc certamen dere literariâ insigniter meriti autoritatem allatrare nequaquam velle, qui à caninâ isthac impudenti sumus alienissimi, neq; unquam ita à Dominis Præceptoribus nostris edocti, nec ex prurigine impugnandi alios, sed potius veritatis enucleanda gratiâ hunc laborem in nos suscepisse. Alterû est de mente & verâ sententiâ ipsius D. Horneji quæ ut magis magisq; innotescat, ex propriis ejus verbis eam eruimus

mus

mus & publico sistimus. Ipse verò in
iter adfert. tb. 110. disertè docet: Fidem
 VIVAM talem dici RESPECTU
 OPERUM, QUÆ HABET. Imò
 putat, fidem, & quidem salvificam (de
 hac n. sermo erat) posse ESSE, quæ
 bona opera tanquam necessarium con-
 sequens (uti alii rectè vocitant) non
 concomitentur, quæ, cum non habeat
 bona opera, ideò non sit VIVA, sed
 mortua, adeoq; UT SIT VIVA, fa-
 cere id BONA OPERA. Verba ejus
 hæc sunt: *Nec est similitudo omni ex*
parte inter ignem splendidum & cali-
dum & fidem vivam: nam FIDES &
 MORTUA ESSE (non dicit CO-
 GNOSCI) potest, ignis a. SEMPER
 splendet. De veritate verborum isto-
 rum nunc non disputabimus, ne mit-
 tamus falcem in alienam messem. Dis-
 cutienda igitur illa partim Theologie
 partim Physicis seu Chymicis remitti-
 mus,

mus, cum *limē* opus habeant. Adde-
 mus saltem quod porro in *repetit. th.*
56 pag. 44. prodit: *Si quis, ait, istis o-*
mnibus (quæ verbum DEI docet) assen-
tiaur, & fiduciam in Christi merito col-
locet, nec tamen pœniteat cum vita ante
acta, nec eam emendet, frustra ille credit,
& fides mortua est. NON VIVIT au-
tem fides vel PER ASSENSUM, vel
PER FIDUCIAM, sed hæc est natura
& essentia ejus OPERATUR autem
PER CHARITATEM, ut Paulus
dicit, & HÆC EST VITA EJUS
secundum Jacobum. Concludit tandem
l. c. pag. 45. E. UT VIVA SIT, O-
PORTET OPERARI & OPE-
*RA fidei c. *contanea* FACERE. Et*
quid opus est multis, statum contro-
*versiaē perspicuis verbis *disput.* Theol.*
de sum. fid. non qualis l. & c. th. 2. ita
 proponit, CHARITAS & OB-
 SERVATIO *mandatorū* Dei CON-
 DI-

CONDITIO EST, SUB QVA ij, qui per fidem justificati sunt, aeternam illam salutem adipiscuntur. Item: **OBSERVATIO** preceptorum DEI nec causa instrumentalis, aut medium, sed **CONDITIO** solum vel **CAUSSA SINE QVA NON**, nec iustitiae sed **SALUTIS** est. Hæc ipsissima D. Horneji verba sunt. E. quibus omnibus abundè satis percipitur, quomodo majorem suam in proposito argumento velit intellectam. Profectò non loquitur de concomitantia, consecutione seu nudo quodam ordine, sed de conditione prerequisite ad consequendam salutem, ut salus promissa sit sub conditione bonorum operum, sine qua non promittatur, nec obtineatur salus, & per quam fides etiam sit & dicatur **VIVA**.

Hiscæ præsuppositis, nobis magis ar-
 ridet sententia Plur. Rev. & Excell. Dn.
 D.

de-
 .tb.
 is o-
 sen-
 col-
 ante
 dit,
 au-
 , vel
 tura
 tem
 ulus
 US
 lem
 O-
 PE-
 Et
 ro-
 eol.
 , ita
 B-
 N-
 DI-



D. Scharffij Præceptoris & Promotoris nostri nunquam non gratâ mente nominandi, qui in literis ad Amicum nobis non sine singularis benevolentiae indicio communicatis ex eadem resolutione, quâ hactenus usi sumus, consequentiam non esse legitimam, maximè perspicuè ostendit, quam ita enodat, ut simul vim *Et usum*, qui in conjunctione *UT* latitat, luculenter exprimat hunc in modum:

Qui habet fidem vivam, is necessario habet bona opera, ad hoc ut habeat fidem VIVAM.

Qui vult salutem adipisci, is necessario habet fidem vivam, ad hoc ut salutem adipiscatur.

E. Qui vult salutem adipisci, is necessario habet bona opera, ad hoc ut salutem adipiscatur.

Ex qua resolutione luce meridiana clarius est, Syllogismum hunc legitimè prorsus destitui formam Syllogisticam ob varietatem terminorum, quæ spectatur in

diverso usu particulæ UT, nec non ob
 diversam mediæ termini acceptionem,
 qui plus habet in minore, ac in majore,
 quippe in hac ponitur absolutè, qui ha-
 bet fidem vivam; in illa modificatè, ne-
 cessario habet fidem vivam. Quæ varia-
 tio adeò mutat terminos, ut diversi o-
 mininò inde cõficiantur, sicuti & nos
 ex Aristotele hoc ipsum disput. 3. th. 1.
 edocuimus & prolixius th 4. not. gen.
 1. l. c. declaravimus. Ut a. major lux di-
 ctis accedat, placet in gratiam verita-
 tis Studiosorum *similes* præeunte Præ-
 ceptore nostro honoratissimo afferre
 Syllogismos, iisdemq; vitiis prioris com-
 monstrare, quales sunt:

*Necesse est, ut cerebrum habeas, habe-
 re ossa & membra corporea.* (brum.

Necesse est, ut intelligas, habere cere-

*E. Necesse est, ut intelligas, habere ossa
 & membra corporea.*

*Conclusio est falsa. Ossa n. non sunt con-
 ditio intellectiõnis, nec ad eam requi-*

rum-

runtur, necesse igitur est, ut *vitium* sit vel in formâ vel in materiâ. At non in materiâ, non enim est in maiore, nec in minore. E. in formâ.

It. Necesse est, ut intellectum habeas habere voluntatem seu potentiam volendi. Necesse est, ut intelligas, habere intellectum.

E. Necesse est, ut intelligas, habere voluntatem seu potentiam volendi.

Conclusio falsissima est: Tantum n. abest, ut voluntas (sive quoad primum sive quoad secundum actum) sit conditio praequisita intellectiois, ut potius contra voluntatem plurima intelligere cogamur, per necessitatem intellectuales operationis. Intellectus n. non potest non percipere obiectum oblatum, sive velit sive nolit intelligens, id quod in sensibus quoque; auditu, visu observare licet. Falsitas a. illa conclusionis non tantum oritur ex falsitate propositionis maioris sed quoque ex pravâ medi-

ter.

termini positione ac dispositione, quod
vitium formæ est.

Alium suppeditabimus:

*Necesse est, ut ignem habeas, habere le-
vitatem.*

Necesse est, ut coqvas, habere ignem.

*E. Necesse est, ut coqvas, habere levita-
tem.*

Conclusio rursus est falsa, quid enim le-
vitas ad conditionem conferat? Ubinam
igitur hîc latitat ἀουλογισίας vitium.
Unicum adhuc addimus:

*Necesse est, ut animam rationalem ha-
beas, habere risibilitatem.*

*Necesse est, ut veritatem ingenuè profi-
tearis, habere animam rationalem.*

*E. Necesse est, ut veritatem ingenuè
profitearis, habere risibilitatem.*

Et hæc conclusio falsa est; quid n. risibi-
litati negotii est eū ingenuâ veritatis
professione, nemo unquam ita locutus
est, eam ad ingenuam veritatis professio-
nē esse necessariā, licet nō removeam²
eand.

eand. à subjecto, quod illam proficere,
gaudet, imò ad quam obstrictum tene-
tur.

In secundâ figurâ.

Necesse est nullum lapidem esse animal.

*Necesse est omnem hominem esse ani-
mal.*

*E. Necesse est nullum hominem esse la-
pidem.*

Hujus resolutionem vulgò sic institu-
unt:

Nullus lapis necessario est animal.

Omnis homo necessario est animal.

E. N. homo necessario est lapis.

Dicimus vulgò, aliàs novimus, imò
disp. 1. th. 15. etiam indicavimus, hæc
propositiones *Necesse est nullum la-
pidem esse animal*, non esse negantes
modales, sed potiùs *affirmantes* ideò
etiam non posse nec debere resolvi
hunc in modum, qui communiter re-
ceptus est. Resolutio n. isthæc tum de-
mum est legitima, quando negatio præ-
figi-

figitur modo, sicuti th. 16. l. c. dictum fu-
it. Quapropter juxta expositionem no-
stram hic syllogismus in nullo esset modo,
quia propositiones omnes essent affir-
mantes; verum ne ab eodem excluda-
tur penitus, nec vitium juxta resolutio-
nem illam vulgarem lateat, nobis etiam
cum vulgo liceat loqui. Manifestum a-
est ex hac anatome, hunc syllogismum
ob vitium confusionis terminorum excu-
sari haud posse, subjectum namq; majo-
ris ponitur absolute lapis, quod in con-
clusionem repetitur cum *αεσ δήκη*, neces-
sario est lapis, hinc peccat cont. not. gen.
4. & spec. 1. fig. 2. l. c. Sed *ἀσυλλογσίαν*
hanc ipsa reductio ulterius probat, h. m.

*Quodc. necessario est animal, non est la-
pis.*

Omnis homo necessario est animal.

E. N. homo necessario est lapis.

En! majori termino nudèposito, non
est lapis, in conclusionem adjicitur modus,
necessario non est lapis, quam argumen-
tandi rationem ipsi Aristotelici vix pro-
babunt,

F

babunt,

babunt, & nihilo tamen minus sequitur
ex verâ prioris reductione, quæ se habet
instar Lydii lapidis.

In tertiâ figurâ.

Necesse est omnem hominẽ esse animal.

Necesse est omnem hominem esse sub-
stantiam.

E. Necesse est aliquam substantiam esse
animal.

Hic ita resolvitur :

Omnis homo necessario est animal.

Omnis homo necessario est substantia.

E. Aliqua substantia necessario est ani-
mal.

Ead. in hoc syllogismo observatur tern
minorum confusio, & quidem respectu
termini minoris, qui ibid. legitur modi-
ficatè, in conclusione absolutè, alius
namq; est terminus *necesse est substan-*
tia, & alius *substantia*, impingit proin
contr. disp. 3. not. sp. 2. fig. 3. Cujus il-
legitimam argumentandi formam por-
rò ex reductione ad 1. fig. elicimus, ita :

Omnis homo necessario est animal.

Quod

*Quoddam quod necessario est substantia
est homo.*

E. Aliqua substantia necessario est animal.

Quid in hoc desideremus, legenti not.
spec. 3. fig. 1. disp. cit. innotescit, quod sc.
subjectum minoris aliter subsumatur in
conclusionem, quam antea erat positum.
Ut v. legitima in tertiâ figurâ fiat illatio,
necessum est, ut vi notæ spec. 2. fig. 3.
subjecto conclusionis unâ idem addatur
modus h. m. *E. Quoddam quod necessa-
rio est substantia, necessario est animal.* Sic
formatâ, legitima argumentandi erit
consecutio, quam reductio quoq; evin-
cit. Quin imò ipsa conclusio, licet non-
nunquam in materiâ videatur falsa, ex
veris præmissis verè tamen concludit,
modò sensus varietatem, de quâ disp 3.
not. spec. 1. fig. 1. nonnulla monuimus,
attendamus; nec, quod ex abundantia
addimus, ipsam necessitatem absolutam
cum hypotheticâ confundamus, de quâ
paucis etiam disp. 2. th. 13. egimus.

II. Ex puris contingentibus in-

E a.

pri.

primâ & tertiâ (exceptâ secundâ)
figurâ infertur conclusio contin-
gens.

*Arist. Anal prior. lib. 1 cap. 13 pag. 38.
seq. it. cap. 16. pag. 42. it. cap. 19. p. 44 Kesi.
l. c. th. 8. pag. 134. seq. Horn. Inst. Log. l.
4. quest. 13. p. 466. Scheibl. tr. Log. de syl.
cap. 13. tit. 12. n. 104. 105. 106. p. 194. seq.*

Et in hac regula, quovinius Aristotelem
sequamur, in promptu habemus causas:
Quod, n. concernit syllogismos primâ &
tertiâ figuræ, eod, illi laborant vitio, quo
prioris generis in eadem, formâ. Quoad
syllogismos a. secundæ figuræ benè insti-
tuitur exceptio. Per singulas figuras hoc
indicabimus.

Ut in primâ figurâ.

Contingit omne album moveri.

Contingit omnem hominem esse album.

E Contingit omnem hominem moveri.

Vitium hujus ex expositione deprehen-
ditur, quæ talis est:

*Omne id quod est album, contingenter
moverur. Omnis*

Omnis homo contingenter est albus.

E. Omnis homo contingenter movetur.
 Quatuor n. ibid. dantur termini, cum fiat additio modi respectu medi in minore propositione contingenter est albus, qui tamen in maiore ponebatur absolute albus. Ut v. evadat legitimus, necessum est, ut medio in maiore juxta disp. 3. not. spec. 2. fig. 1. idem addatur modus, alias formaliter ut aliquid concludat ejusmodi syllogismus, non satis est idoneus.

Ratione secundæ v. figuræ omnino valet exceptio, in hac enim præmissæ possunt esse puræ contingentes, inde tamen haud sequitur cōtingens cōclusio, sed absoluta. Cujus uberior declaratio ex disp. 3. not. gen. 4. & spec. 2. fig. 2. hauriri potest.

In tertiâ figurâ sit tale exemplum:

Contingit omnem hominem ambulare.

Contingit omnem hominem esse album.

E. Contingit quoddam album ambulare.

In quo vicissim desideram^o bonitatē cōsecutionis, uti videre est rû ex resolutione.

Omnis homo contingenter ambulat.

Omnes

Omnis homo contingenter est albus.

E. Quoddam albu contingenter ambulat.
 Siquidem alius terminus est contingenter est albus, & alius album; tum ex reductione. v. g.

Omnis homo contingenter ambulat (mo.

Quoddam quod contingenter est albu, est ho-

E. Quoddam albu contingenter ambulat.
 In quo quatuor, qui non videt, terminos, hæc cæcutit.

Non possumus tamen non monere circa ejusmodi syllogismos, ut sint & fiant legitimi, requiri, ut major satis distribuat, ne illi, quod jam sub majoris subiecto subsumitur, prædicatum majoris repugnet, qualis n. aliàs hæc foret distributio, qualis universalitas? Ut v. ea conspicua reddatur, resolvamus majorem, quotiescunq; dubitamus de ejusd. universalitate, per *omne id quod* &c. sive per *Quicquid* &c. eundemq; si syllogismus est secundæ vel tertiæ figuræ, ad primam reducimus figuram, quò actu listatur
Dictum de Omni vel Nullo.

III. Ex

III. Ex maiore necessaria & minore absolutâ in primâ figurâ colligitur conclusio necessaria.

Arist. l. c. cap. 9. p. 36. Jac. Mart. l. c. cap. 9. p. 403. Heint. Höpffn. l. c. p. 181. Kesl. l. c. th. 9. p. 136. Dannb. l. c. sect. 2. art. 12. § 80. p. 297. Horn. l. c. quest. 12. p. 463. Scheibl. l. c. n. 100. p. 192. Henr. Nic. Gymn. Log. rep. diatr. 12. de Syll. Mod. th. 25. pag. 261.

Hanc regulam formali gaudere consequentiâ, affirmamus cum Aristotele, non obstante hoc syllogismo :

N. animal necessario est risibilis.

Omnia homo est animal.

E. Nullus homo necessario est risibilis.

Respondemus uno verbo, in maiore non attenditur *Dictum de Nullo*, quia quoddam sub subjecto subsumi potest, cui prædicatum optimè convenit.

Neq; sequens dixerere nos à secretiâ potest:

Omne mortuum necessario est non ens.

Quoddam corpus est mortuum.

E. Quoddam corpus necessario est non ens.

Absurda n. hæc conclusio non tam ex

vitio forme fluit quàm materia, hanc ergò ut introspeciamus, requiritur. *Major*em itaq; quod spectat, dicimus; si *τὸ non ens* explicatur de eo, quod simpliciter non est adeoq; nullam prorsus habet entitatem, tum est falsa: mortuum n. utriq; habet aliquam entitatem, quia cadaver est. Hoc itaq; sensu intellecta, falsissima vi hujus materiae sequitur cōclusio. *Sic* v. *τὸ non ens* intelligitur de tali vel tali ente, h. e. ut illud ipsum mortuum non sit tale ens, quale ante fuit, tum vera est major, adeoq; vera inde etiam emergit conclusio, quod quoddam corpus necessario non sit ens scil. tale, quale ante fuit, v. g. vel homo, vel equus, nihilominus tamen quò minus ens sit, quia cadaver est, nihil prohibet.

Aliae collectiones, quæ videntur obstare, ex prioribus à nobis dictis facile solvi possunt, potissimum ex iis, quæ circa regulam 1. fig. 3, disp. hujus in fine fuere monita.

IV. Ex altera universali negante.

te.

te necessariâ, & alterâ affirmante
absolutâ in secundâ figurâ in tri-
bus modis prioribus infertur cō-
clusio necessaria.

Arist. l. c. cap. 10. p. 36 J. Mart. l. c. cap. 10.
p. 405. Kest. l. c. p. 137 Scheibl. l. c. n. 101.
Henr. Nic. Gym. Log. rep. diatr. 12. tb. 26.
pag. 262.

Non saltim in ultimo, verùm in tribus
modis etiam prioribus hanc regulam for-
maliter nihil concludere, hîc statuimus,
facileq; probatum dâmus hoc exemplo:

Nullus lapis necessario est animal.

Omnis homo est animal.

E. Nullus homo necessario est lapis.

Quamvis materiæ bonitas ei deneganda
non sit, præsentissimi tamen quinque sunt
termini in hujusmodi formæ syllogis-
mis, alius enim est *necessario est animal*,
alius *est animal*, alius *lapis*, alius *necessa-
rio est lapis*, & tandem *homo*. Cujus ἀνα-
λογιστῶν in super ex reductione dilucida-
mus, v. g.

(Lapis.

Quicquid necessario est animal, non est

¶ ¶

Omnis

Omnis homo est animal.

E, Nullus homo necessario est lapis.

Numerentur saltem termini, eorūdemq; præter id homo quatuor deprehenduntur, duo namq; circa medium & duo circa majorem ejusdemq; in cōclusionē subsumptionem occurrunt. Producemus alium ejusd. formæ, cujus præmissæ sunt veræ, falsâ existente cōclusionē.

Nullum animal necessario est currens.

Quidam homo est currens. (animal.

E, Quidam homo necessario non est animal.
In hoc quinq; apparent termini, necessario est currens, est currens; animal, necessario non est animal, & deniq; homo Quæ vitiositas se magis prodit in reductione, v. g.

Q. necessario est currens, nõ est animal.

Quidam homo est currens. (mal.

E Quidam homo necessario non est ani.

In hoc major est vera, minor est vera, & tamen falsa sequitur conclusio, quæ ex nullo alio niū formæ oritur vitio, cum medius in majore modificetur, in minore eudè locetur, itemq; major terminus

positus absolute, in conclusione reassumatur modificatè.

V. Ex universalis affirmante necessaria in syllogismo affirmativo ò it. ex universalis negante necessaria in syllogismo negativo in tertiâ figurâ sequitur conclusio necessaria.

Arist. l. c. cap. 11. p. 37. J. Mart. l. c. Kesl. l. c. Scheibl. l. c. n. 102. p. 192. Henr. Nic. l. c.
 Hæc ipsa regula est bimensuris, unum membrum syllogismos *universales affirmantes necessarios*, alterum *universales negantes necessarios* respicit. Prius quod concernit, censemus, regulam hanc *valorem* obtinere, si *major* est universalis affirmans necessaria, quod accidit in *Darapti & Datisi*. Posterius, quando rursus non minor sed *major* est universalis negans necessaria, quod fit in *Felapton & Ferison*; nullibi a. formaliter concludit, si minor est modificata, sic n. conclusio duntaxat *materialem* ratione for-

malis consequentiæ admittit modum,
nequaquam *formalem*, qui solus petitur
ex prædicato majoris. Conf. disp. 3. not.
spec. 1. fig. 3.

Cæterum reliquos duos quod spectat
modos, *arbitramur*, præsuppositâ hac
conditione, ut non minor sed *major*
modo *necessario* afficiatur, eos *formali-*
ter aliquid *necessario* concludere, abso-
luta aliâs sequitur conclusio.

Ex his liquidò constat, quod sentiendū
sit de ejusmodi argumentandi formulâ:

Omnis homo est rationalis.

Omnis homo necessario est animal. (le.

E. Quoddam animal necessario est rationalis.

Dicimus nos, licet, ipsas præmissas cum
conclusionem *sano sensu* acceptâ non im-
pugnemus, *formalem* tamen argumen-
tandi sequelam *quæ minus ei tribuamus*,
obstat, quod *quing.* huic syllogismo citra
omne dubium insunt *termini*, qui facili-
mè à quolibet numerari queunt. Ipsa re-
ductio optimè numerat, uti nemo non,
nisi talpâ cæcior, videt. Videlicet.

Omnis homo est rationalis.

Quoddam

*Quoddam quod necessario est animal,
est homo. (nale.*

Et Quoddam animal necessario est ratio.

VI. Ex maiore contingente & minore absolutâ in primâ figurâ sequitur conclusio contingens.

Arist. l. c. cap. 14. pag. 39. Heintr. Höpffn.

l. c. p. 181. J. Mart. l. c. cap. 15. p. 410. Corn.

Mart. l. c. pag. 328. Kestl. l. c. th 10. p. 137.

Horn. l. c. q.uest. 14. p. 469. it. comp. Dial.

audt. l. 3. c. 10. n. 12. p. 145. Scheibl. l. c. n.

107. pag. 195. Heintr. Nic. l. c. th. 27. p. 263.

Amplectimur regulam hanc Aristotelis, modò major propositio reverà sit universalis. Talis a. ut ex superioribus palam constat, salutarur, cum prædicatum sine ullâ exceptione de omnibus iis, quæ sub subiecto continentur, verificari aptum est. Ex his ad oculos patescit, quid ad hunc & ejusd. monetæ syllogismos sit respondendum.

Omne bipes contingenter est homo.

Omne animal rationale est bipes.

B. Omne

m,
tur
ot.
stat
hac
jor
ali
fo
ndū
ulā :
(le
na
um
im
en
us
itra
cili
re
on,
do



E. Omne animal rationale contingenter est homo.

Conclusio est absurda, quia animal rationale non contingenter sed necessarium est homo. Ast, quemlibet animadvertere putamus, majorem baud satis complete distributam fuisse, quod argumentandi genus interdicit *Dutr. in Log. tr. 2. part. 3. c. 2. art. 4. p. m. 160.* Et demonstramus inde: Prædicatum n. hoc contingenter est homo, statim repugnat subjecto minoris τὸ animal rationale, adeoque prædicatum majoris spargi nequit in omnia ea, quæ habentur in subjecto; quare in majore etiam dicere non licet, *omne id, quod est bipes &c.* Cōtradictoria pro in ejus magis ad veritatem inclinat, *Quoddam bipes non contingenter est homo,* cū animal rationale sit bipes, nec tamen contingenter homo.

VII. Ex alterâ absolutâ universali negãte & alterâ contingente affirmãte in secundâ figurâ in tribus modis prioribus efficitur conclusio contingens,

Aristo

Arist. l. c. cap. 17 pag 43. J. Mart. l. c. cap. 18. p. 414. Kesh. l. c. th. 10 p. 138. Scheibl. l. c. n. 108. p. 196. Henr. Nic. l. th. 27. p. 263.

Dissentimus hac in parte iterum ab Aristotele, asserentes, potius ejusmodi syllogismum in nullo modorum formaliter aliquid concludere, quod evincere his exemplis allaboramus:

Nullus canis est leo.

Quoddam currens contingenter est leo.

E. Quoddam currens contingenter non est canis.

Quing, profectò hinc reperiuntur termini, quorum alius est leo, alius contingenter est leo; alius canis, alius contingenter non est canis & tandem currens. Quid? quod ipsa reductio ostendit, v. g.

Nullus leo est canis.

Quoddam currens contingenter est leo.

E. Quoddam currens contingenter non est canis.

Dabimus alium ejusd. formæ.

N. homo est equus.

Quoddam brutum contingenter est equus.

E. Quoddam brutum contingenter non est homo.

Lati-

Latitat vicissim vitium in pluralitate terminorum, quorum quinq; in hoc etiam conspiciuntur, medius n. in maiore sumitur absolute, in minore v. modificatè; & rursus major terminus ponitur absq; modo, in conclusione cum modo, quæ variatio terminorum formam violat. Idem vitium reductio reprehendit, v. g.

N. equus est homo.

Quoddam brutū contingenter est equus.

E. Quoddā brutū cōtingēter nō est homo.

Conferantur tantum inter se termini, & multitudo apparebit cunctis.

VIII. Ex alterā absolutā & alterā contingente & quidem eā, quæ in reductione futura est major, in tertiā figurā sequitur conclusio contingens.

Arist. l. c. cap. 20 p. 45. Corn. Mart. l. c. p. 329. Horn. Inst. Log. l. 4. quest. 14. pag. 469. it. comp. Dial. auct. l. 3. c. 10. n. 12. p. 145. Scheibl. l. c. n. 109 p. 196. Barth. Log. maj. locupl. part. comm. l. 3. c. 7. pag. 157. col. 2. Henr. Nic. l. c. tb. 27. p. 263. E6

Et hæc regula universaliter vera non est, siquidem in modo *Bocardo* ex illâ præmissarum, quæ in reductione non occupat locum majoris, sequitur conclusio contingens. Vid. disp. 3. not. spec. 1. fig. 3.

Modum *Disamis* quod attinet, in hoc etiam peculiare quid subest? Quamvis nominor hujus, quæ in reductione locum obtinet majoris, sit contingens, minimè tamen in tertiâ figurâ *vi forme* sequitur cōclusio de *formali cōtingēti*, sed tum demum, quando ad primam reducitur figurâ. Sequens igitur syllogismus non gaudet legitimâ formâ.

Aliquod animal est rationale.

Omne animal contingenter movetur.

E. Aliquod quod movetur contingenter est rationale.

Dantur n. quinque termini in hoc syllogismo, quos in reductione deprehendimus.

v. g.

Omne animal contingenter movetur.

Aliquod rationale est animal.

E. Aliquod quod contingenter est rationale, movetur.

Ue

Ut a. hic tertiæ figuræ syllogismus ex propositione illâ, quæ major erat futura in reductione, vi formæ concludat, oportet eum ita disponi,

Aliquod animal est rationale.

Omne animal contingenter movetur.

E. Aliquod quod contingenter movetur est rationale.

Sic formatus, sine dubio in reductione ad primam figuram sequitur conclusio contingens, v. g.

Omne animal contingenter movetur.

Aliquod rationale est animal. (vetur.

E. Aliquod rationale contingenter mo-

Reliquos quatuor modos quod cōcernit, statuimus, Aristotelē de formâ horū rectè docere, non obstante hoc exemplo:

Omnis homo contingenter movetur.

Quidam homo est currens. (vetur.

E. Quoddam currens contingenter mo-

Quamvis n. hæc conclusio in sensu composito sit falsa, vera tamen est in sensu diviso: Retineatur igitur unitas sensus, & veritas non periclitabitur.

IX. Ex majore contingente, & minore necessariâ in primâ figurâ sequitur conclusio contingens.

Arist. l. c. cap. 15. pag. 41. Heine. Höpffn. l. c. p. 185. Jac. Mart. l. c. cap. 16. p. 410. Corn. Mart. l. c. p. 329. Kest. l. c. tb. 5 p. 138. Scheibl. l. c. n. 110. p. 196. Barib. l. c. p. 150. col. 2. Henr. Nic. tb. 17. p. 254.

Quando regula ita accipitur, ut *medius* in majore ponatur absq; modo v. g.

Omne animal contingenter est dormiens.

Omnis homo necessariò est animal.

E. Omnis homo cõtingenter est dormiens.
à sententiâ Aristotelis stare baud possumus ob variationem medij termini in majore absolute, in minore modificate positi. Damus v. eam utraq; manu, si subjecto majoris addatur modus, quo terminorũ retineatur idẽitas. Cõf. disp. 3. not. sp. 2. fig. 1.

X. Ex unâ necessariâ negante & alterâ contingente in secundâ figurâ in tribus modis prioribus duplex efficitur conclusio, absoluta, & contingens in læat significatione.

Arist.

Arist. l. c. cap. 18. pag. 43. Kesl. l. c. th. 11. pag. 138. Scheibl. l. c. n. III. pag. 197. Henr. Nic. l. c. th. 19. p. 255.

Duo in hac regulâ sunt observanda, *premissæ* sc. & *ipsa conclusio*. *Premissas* quod concernit, arbitramur, syllogismum ejusmodi ob *diversos modos*, quorum alius medio in majore, alius in minore additur, *formaliter* nihil inferre. *Conclusionem* quod spectat, dicimus, nisi *majoris subiectum* modo contingentis sit affectum, nunquam inde *vi formæ* sequi contingentem, quocunq; modo capiatur, conclusionem, sed semper *absolutam*. Utriusq; conclusionis testium loco addimus exempla, v. g.

N. animal necessariò est nigrum.

Omnis corvus contingenter est niger.

E. Nullus corvus est animal.

Invenimus in hoc non tantum *conclusionis falsitatem*, quæ in hac formâ ex veris sequitur *premissis*, verum ipsius etiâ *medij diversitatem*, aliter n. in majores sc. *necessariò est nigrum*, & aliter in minore sc. *contingenter est niger*, locatur. Ali^o prodeat:

Nullum animal necessariò est nigrum.

Omnis corvus contingenter est niger.

E. Nullus corvus cōtingenter est animal.

Hic syllogismus quinq; cōstat terminis, quorum duo respectu medij, quos jam vidimus, conspiciuntur; duo respectu majoris extremi & predicati conclusionis, quod in majore sine modificatione v. g. *animal*, in conclusione v. cum ead. v. g. *contingenter est animal*, ponitur, quem numerū quinarium complet tō *corvus*.

Quapropter huic argumentandi generi calculū nostrū adjicere etiā nō possum⁹.

XI. Ex unā contingente & alterā necessariā in tertiā figurā in modis affirmantibus infertur conclusio contingens.

Arist. l. c. cap. 21 p. 45. Kestl. l. c. th. 11. p. 138. Scheibl. l. c. n. 112. p. 198. Corn. Mart l. c. p. 330. Barthol. l. c. pag. 150. col. 2. Henr. Nic. l. c. th. 20. pag. 256.

Et hanc regulam *limā* opus habere, nobis quidē *extra controversiam* esse videtur; concedimus ergō, *majorem* si habeat *contingentem*, *vi formæ* semper con-

clu-

elusionem inferre contingentem, modi illi sive affirmantes sive negantes sint. Sin a. majorem habeat necessariam, in omni etiam modo vi formæ conclusionem inferre necessariam, nunquam contingentem. Conf. disp. 3. not. spec. 1. fig. 3.

Hoc tamē addimus, quod in ejusmodi syllogismis, nisi modus minoris addatur subjecto conclusionis, nova terminorum propullulet confusio. Dictis fidem dabit exemplum.

Omnis homo necessariò est coloratus.

Omnis homo contingenter est albus.

E. Quoddam album contingenter est coloratum.

Ut falsitatem hujus conclusionis, quæ ex veris sequitur præmissis, taceamus, hoc tantum tangimus, quing, in hoc syllogismo elucere terminos, quorum alius est necessariò est coloratus, alius contingenter est coloratus; & alius contingenter est albus; alius album, quibus deniq; accedit ultimus n.p. homo. Constans ergò adseritio est, etiam hujus monetæ syllogismos formaliter nihil cōcludere, sed, si vel maxi-

mè quid cōcludant, tātūm *materialiter*.

Hæc de regulis modos *necessarij* & *contingentis* respiciētibus, de quibus Aristoteles. De *possibili* & *impossibili*, quia ipse et iā Philolophus nihil certi definivit, fortassis quod in *impossibili* sit ead. *concludendi ratio*, quæ in *necessario*, & in *possibili* eadem, quæ in *cōtingēte*, nec nos hic operosi erimus. Conf. B. J. Mart. Inst. Log. l. 4 c. 22. p. 417. B. Kest. tr. Log. de Conf. c. 31. th. 6 p. 134. D. D. Dannhaw, Id. Bon. disp. sect. 2. art. 12. § 79. p. 294. Arnif. in not. ad H. Log. Crell. part. com. l. 3. c. 10. p. 404.

Atq; ita doctrinam de Modalibus pro divinitus concessio talentulo consideravimus, faxit DEUS Opt. Max, ut finem, quem scriptione harum disputationum intendimus, assequamur, scilicet *unius DEI gloriam*, *proximi commodum*, *nostrorumq; studiorum emolumentum*, cui etiam pro benignissimâ Spiritus Sancti adfistentiâ sit laus, honor & gloria in infinita seculorum secula.


Tabus


Tabula disputat, ultima methodū, cū ordine regular. prout in Arist. leg. representans


Syl- logi- smus Mo- dalis est vel	Purus, qui constat vel ex	Puris necessariis. Estq; figuræ vel	}	primæ Arist. I. anal. l. c. cap. 8.	
				secundæ l. c.	
	Mixtus, qui constat vel ex	Modali & absolutâ quarum	}	altera est necessaria, altera absoluta. Estq; figuræ vel	primæ Arist. c. 9.
				altera est contingens, alte- ra absoluta. Estq; figuræ vel	secundæ Arist. c. 10.
	Uterq; modali sed diversorum mo- dorum. Estq; figuræ vel	}	primæ Arist. c. 14.		
secundæ Arist. c. 17.					
Uterq; modali sed diversorum mo- dorum. Estq; figuræ vel	}	tertiam Arist. c. 19.			
		tertiam Arist. c. 20.			
Uterq; modali sed diversorum mo- dorum. Estq; figuræ vel	}	primæ Arist. c. 15.			
		secundæ Arist. c. 18.			
Uterq; modali sed diversorum mo- dorum. Estq; figuræ vel	}	tertiam Arist. c. 21.			




Tabula *diffinit.* *primæ* *methodi*, *cu* *ordine* *regular.* *prout* *in* *Arist.* *leg.* *representans*
} *primæ* *Arist.* *I.* *anal.* *l. c.* *cap. 8.*









3

QVADRIGA
DISPUTATIONUM
LOGICARUM
De
MODALIBUS
ENUNCIATIO-
NIBUS ET SYL-
LOGISMIS,
Consensu
Amplissimi Collegii Philo-
sophici, in illustri Electorali
Wittenbergâ loco exercitii
publici proposita
a
M. JOHANNE Weissen
Jennaco-Thur.
Editio secunda, correctior.
ERFFURTI,
Impensis JOHANNIS BIRCKNERI,
Bibliop. Erffurt. & Jenens.
Typis Pauli Michaëlis, Anno 1653.

